302

IO. FRANCISCI FAGNANI IVRISCONSVLTI

DE IVSTITIA, ET validitate cenſurarum S.D. Noſtri Pauli Quinti in Rempublicam Venetam.

VITTORIO EMANUELE BIBL. NAZ. IN ROMA



5

ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. 1607.

SVPERIORVM PERMISSV.

DE IVSTITIA ET VALIDITATE CENSVRARVM

SANCTISSIMI D. N. PAVLI QVINTI IN REMPVBLICAM VENETAM.

QVI nuper Venetæ Reip. partes ſcriptis tuendas ſuſceperunt, multa effundunt in ſanctam Sedem Apoſtolicam, in Summum Pontificem Chriſti Vicarium, atque in vniuerſum ordinem Eccleſiaſticum, à quibus Catholicos, modeſtoſq. viros abſtinuiſſe cõſultius fuiſſet. Nos Chriſtianæ verecundiæ, & manſuetudinis memores Dei & Eccleſiæ cauſam, cæteris omnibus prætermiſſis, ſolis rerum ponderibus, & rationum momentis agentes, primùm latarum à Rep. legum, atque actionum, quæ cauſam cenſuris, atque interdicto dederunt, ipſarumq. cenſurarum validitatem & iuſtitiam examinabimus, deinde ſingulis argumentis, quibus veritas oppugnatur, reſpondebimus.

PRIMA PARS

DE LEGE LATA IN BONA EMPHITEOTICA ECCLESIARVM.

PRIMA lex Reip. Venetæ hoc ſtatuit, vt Regulares, preſbyteri, hoſpitalia, moniales, eccleſiæ, & loca eccleſiaſtica, nullo tempore ſub quouis colore, aut titulo actionem prætendant in bonis à laicis poſſeſſis, neque ratione prælationis, nec conſolidationis directi dominij, nec extinctionis lineæ primarum inueſtiturarum, neque alia de cauſa, ſaluo ipſis eccleſijs, & eccleſiaſticis perſonis, & locis pijs dominio directo.

HAec lex expreſsè & nominatim ſtatuit in perſonas eccleſiaſticas, quas ab actione excludit, & in bona eccleſiarum, quæ ratione directi dominij ad Eccleſiam ſpectantis prohibet vendicari ab Eccleſia. Quorum neutrum licuiſſe Principi ſeculari, vtcumque ſupremã in temporalibus poteſtatem habenti, tam euidens eſt, vt qui hoc in dubium reuocant, principia ipſa negare videantur.

Perſonas quidem eccleſiaſticas exemptás eſſe a iuriſdictione ſeculari diſertis verbis cauetur in cap. ſi Imperator 96. diſt. vbi habetur, non a legibus publicis, non a potentatibus ſeculi, ſed a Pontificibus & ſacerdotibus omnipotentem Deũ voluiſſe clericos & ſacerdotes ordinari, & diſcuti, hoc eſt, vt ibi omnes notant, iudicari. idem ſtatuitur in cap. cõtinua, cap. ſi quiſquam, cap. clericum, cap. volumus, & alijs ſeqq. 11. q. 1. idem ſancitur in Mileuitano Concilio relato in cap. inolita, & in Concilio Carthaginienſi relato in cap placuit, eadẽ

cau-

cauſa & quæſtione in cap.2. & in cap.ſi diligenti, de foro cōpet.in cap.cum non ab homine, in cap. at ſi clerici, de iudic. in cap.ſi iudex de ſent. excom. in 6. & in cap.quanquam de cenſ.in 6.& nouiſſimè in concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ.9.tit.reformationes curiæ, & aliorum verſ.& cum à iure. Quomodo autem,& quo iure huiuſmodi exemptio inducta ſit,non omnes inter ſe conueniunt. Crebrior tamen grauiſſimorum interpretum ſententia eſt, eam exemptionem eſſe de iure diuino, ita docuit gl. in d. cap.ſi Imperator 96. diſt.dum ait,clericos ante omnem humanam conſtitutionem a ſeculari poteſtate exemptos eſſe, & conſtitutiones clericos eximentes non nouum ius continere, ſed iuris declarationē. idem ſentiunt Tancr.& Præpoſ.in d.cap. ſi Imperator n.1. Cardin.in repetit. cap. perpendimus n. 50. verſ.ego tamen dico,de ſent.excom. Bald.in cap.2. n.50. de maiorit. & obedient.& in auth.ſtatuimus,in princip.C.de epiſc.& cleric.vbi loquēs de ea auth.prohibente trahi perſonam eccleſiaſticam ad iudicium ſeculare, notat ſecundum Canoniſtas, quod id non eſt ius nouum,ſed eſt recedere ab errore veterum legum. Quia(ſubdit)clerici numquam fuerunt de iuriſdictione temporali iudicum laicorum, & hæc eſt ipſa veritas, quia Deus a principio iſtas iuriſdictiones diſtinxit. idemque traduut Hoſtien.in d.cap.2.de maiorit. & obed.a multis haud fideliter relatus.is enim ſcribens, clericos a poteſtate Imperatoris exemptos eſſe a ſummo Imperatore, hoc eſt Deo,& etiam ab Imperatore inferiori, dum vtramque copulat exemptionem, apertè inſinuat eam competere clericis tam iure diuino,quā humano.Goffred.Abb.& Felin.in d.cap.2.n.1.Mil.in repert. in verb.clericus. Imol. in clem. 1.col. 1. de off.ordin. Rom.in ſing.414.Dec.in cap.eccleſia ſanctæ Mariæ n. 19.de conſtit. Dried.l.1.de libert.Chriſtiana capite 9. Almain.in tract. de ſum.poteſt. eccleſiaſt.cap.8. Aufrer.in clement.1. de offic. ordin. verſ.ad quæſtionem. Lap.allegat.92.n.7.gl.in d.cap. quanquam,vbi omnes DD.de cenſ.in 6.Anchar.conſ.96.n.1. Prob. in addit. ad monach. in cap. ſi iudex laicum, de ſent.

excom.

excom.in 6.n.1.vbi etiam in hanc ſententiam citat Maler.in tract.de elect.Hieron. Gigas in tract. de crim. læſæ maieſtat. quæſt.68.n.15. Tiber.Decian.in tract.crimin. l.9.cap.9.n.1. Hippol.Riminald. in repetit. cap.quæ in eccleſiarum n.54. Euerar.conſ.19.n.13.incip.in materia quæſtionis,& in conſ. 42. incip. Viſis & bene diſcuſſis n.25. & 26.Pet.Belluga Valentinus in ſpeculo Principum rubr.11.tit.de præpoſ.§.videndum n.1.& 2.Silueſter in verb.immunitas 1.q.1.Summa Angelica in verb. immunitas 33.verſ.11. Alexand.conſ.8. n.1. vol.1. Nat. conſ. 435.nu.15. Rol. conſ.4. n.7. vol.1. Benedict.Cano.de priuil.eccl.perſonal.tit.de for.cõpet.priuil.11. Ferdinandus Vaſquius Hiſpanus de ſucceſſ. creat. §. 22.limitat.28. Et hanc eſſe communem ſententiam teſtatur Alciat.in cap.cum non ab homine n.2.de iudic. Couar.Practic. quæſt.31.n.1. Stephanus Aufrer.de poteſt. ſeculari ſuper eccleſiaſticis perſonis in introductione n.7.Bernard.Laur.in tractatu continente caſus, quibus iudex ſecularis poteſt manus in perſonas clericorum ſine metu excomunicationis imponere, qui habetur tom.xj. tractatuum n. 5. Nauar. in relect. cap.nouit,de iudic.not.6.n.6.& eodem not. in 1.oppoſitione n.30.verſ.facit denique.Atque ita deciſum fuit in tribus ſupremis & celeberrimis in toto orbe terrarum tribunalibus, quorum vnum eſt iudicum eccleſiaſticorum, alia verò duo ſecularium,ſcilicet in Rota Romana, in conſilio Neapolitano,& in Senatu Pariſienſi.Deciſio Rotæ Romanæ habetur in antiquis tit. de conſuet.deciſ. 10.n.4. Deciſio conſilij Neapolitani habetur apud Grammat.deciſ.61. vbi propterea ait conſilium Neapolitanum nemine diſcrepante,decreuiſſe,ſẽtentiam latam a iudice laico cõtra clericum,& iam diu executioni mandatã reuocatam eſſe,quouſque aliter per ſacrum Cõcilium prouiſum fuiſſet, ſubdens,hæc poſtrema verba addita eſſe, vt conſuleretur honori commiſſarij, a quo lata fuit ſententia,& ita fuiſſe obſeruatũ. Deciſio Senatus Pariſienſis refertur a Rebuf.in cõcord. rubr.de protectione concord.vbi ſubdit,id eſſe etiam contra rationem naturalem, vt laici inferio-

feriores iudicent de perſonis eccleſiaſticis, quæ ſunt ipſis digniores,teſtaturq́; arreſto Senatus Pariſienſis,die 5. April. anno 1431.remiſſum eſſe ad iudicem eccleſiaſticum cadauer presbyteri,qui laqueo ſibi mortem cõſciuerat in vico S.Germani. Ex quo (inquit) patet,quod iudex eccleſiaſticus cognoſcit de clericis viuis & mortuis, quia character eſt impreſſus animæ & oſſibus.

Ratio autem, cur exemptio perſonarum eccleſiaſticarum quoad omnia ſit de iure diuino, ea eſt præcipuè, quod cum eccleſiaſtica poteſtas ſit a Chriſto Ieſu Domino noſtro lege euangelica ſupernaturaliter conſtituta, & Petro vt Principi Apoſtolorum, eorumq́. ſucceſſoribus, non autẽ Principibus laicis commiſſa, eaq́. circa ſpiritualia verſetur. Nauar.in d. releſt.cap.nouit, notab.3. tit. poteſtas eccleſiaſtica, & laica vt differ.n.96.conſequens eſt, vt ad eccleſiaſticam non laicã poteſtatem pertineat iuriſdictio in perſonas eccleſiaſticas, quæ omninò corpus & animam in ſortem Domini tranſtulerunt,& Dei ſeruitio dedicarunt.12.q.1.cap. cui portio, & ſic res ſpirituales, & de eius foro effectæ ſunt. Qua ratione vſus eſt Hoſtien.in d.cap.2.qui a Io.Andr. Imol.& alijs probatur, & a nemine ibidem improbatur. Eandem adducunt Oldrad. conſ.83.n.5. Marian. Socin. in cap.2.n. 3. de foro compet. Rota d.deciſ.10. Alijs hanc opinionẽ firmis rationibus comprobarunt,& ex pluribus ſacræ Scripturæ locis auctores ſupradicti deduxerunt,quæ cum ab ipſis peti poſſint,in præſentia prætermittuntur, cum apud viros iuſtos, æquiq́. obſeruantes ſufficere debeat hanc eſſe probatiſſimam, & receptiſſimam opinionem,eamq́. manifeſtè exploſis cauillationibus, callidisq́. interpretationibus probari in d.cap. ſi Imperator, in d. cap. quamquam, & in præcitato loco concilij Lateranenſis,atque ex concilio Tridentino cap.29.ſeſſ.25.vbi dicitur: Immunitatem eccleſiæ, ac perſonarum eccleſiaſticarum Dei ordinatione, ac Canonicis ſanctionibus conſtitutam.

Quamobrem mirum eſt, quod ait F.Paulus Remp. pro indubitata habere contrariam opinionem, eamq́. ſequi Theologos,

logos, & i migliori Canoniſti. Nam quoad Canoniſtas infra oſtendemus, Innoc. & Oldrad. tantum abeſſe, vt ſentiant exemptionem prædictam non eſſe de iure diuino, vt potius pro alia opinione allegari poſſint, vel ſaltem pro neutra. Nauar. allegatus a Molin. in Man. de hac quæſt. nullum verbum; adeò vt ſoli negatiuam opinionem defendant Laur. Bellamera, & Couar. cum tamen omnes alij, qui articulum attingunt ſupradictis numero, & auctoritate præſtantes ſentiant pro affirmatiua, nempe gl. Hoſtien. Bal. Præpoſit. Card. Abb. cum tot alijs relatis, tresq. concordes Eccleſiaſticorũ, & laicorum deciſiones, videlicet Rotæ Romanæ, Senatus Pariſienſis, & Neapolitani Concilij, quibus hæc opinio indubitata redditur, & vſus etiam apud Chriſtianos Principes qualis fuerit, ſatis oſtenditur. Theologi autem, quibus placuit opinio contra Canoniſtas, ſunt aliqui tantum ex recentioribus collecti a Molina in loco ſupra citato, adeo vt nihil ponderis habere debeant pauci, & recentes aduerſus tot, & tam grauium Auctorum conſenſionem; cum alioquin Canoniſtis & Theologis etiam grauibus, & ſummæ auctoritatis inter ſe diſſidentibus, in his quæ reſpiciunt ius diuinum, pertinens ad moralem philoſophiam, opinio Canoniſtarum præferenda ſit opinioni Theologorum, Petr. de Anchar. in celebri ſua diſputatione, incipiente, Antiquis, & modernis temporibus. Vaſq. 1. Controu. Illuſtr. cap. 29. nũ. 6.

Exemplum S. Pauli, qui à Feſto ſeculari iudice ad Cæſarem appellauit, huic concluſioni minime officit. Nam ipſe appellauit ad Cæſarem non tanquam ad ſuperiorem ſuum, ſed tanquam ſuperiorem illius, à quo ſibi inferebatur iniuria. Ita reſpondent Præpoſ. in cap. cum ad verum 96. diſt. col. 13. in reſponſ. ad 8. argum. Turrecrem. in Summ. de eccleſ. lib. 2. cap. 96. in reſponſ. ad 3. argum. verſ. & cum dicitur quod ad Cæſarem appellauit. Quę reſponſio Iuris regulis conſona eſt, ſecundum quas appellatio deuoluitur ad ſuperiorem Iudicis, à quo, non autem ad ſuperiorem perſonarum litigantium. Spec. lib. 2. par. 1. tit. de compet. Iud. adit.

num.

num.12.Bart.Bald.Ang. Salic. Alberic. & alij omnes in l. 2. C.vbi, & apud quem. Rom.conſ.265.nu.3.Afflict.deciſ.51. num.2. & 3. Abb.in cap.quintauallis,n.39.de iureiur. Quòd ſi ex illa S.Pauli appellatioue argueretur Feſtum, aut Cæſarem ſeculares Iudices in illa S.Pauli cauſa iuriſdictionem ordinariam habuiſſe, hæretica inde ſequeretur concluſio,Principem, aut Magiſtratum ſecularem in cauſis dogmatum Fidei eſſe Iudicem competentem. Quam impiam hereticamq́. concluſionē prædicta ſana Præpoſiti,& Turrecrem.interpretatione vitabimus, vt ſcilicet S. Paulus Cæſarem appellauerir, vt pro ſua ſeculari poteſtate Feſtum Iudicem, alioſque Cæſaris ſubditos, qui eum calumnijs, & impoſturis vexabant,coerceret.

Verba præterea S.Pauli ad Romanos cap. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt, referri tam ad ſecularem, quam ad eccleſiaſticam poteſtatem,adeò vt exemptionem clericorum probet, non autem,quod contra prætenditur, refellat, conſtat ex epiſtola S. Symmachi ad Anaſtaſium Imperatorem,vbi ſic ait: Fortaſſis dicturus es,ſcriptum eſſe,omni poteſtati nos ſubditos eſſe debere. Nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deū ſuas non erigunt voluntates, cæterum ſi omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergo, quæ rebus eſt præſtituta diuinis,cui veræ interpretationi adhęſerunt apertè S. Bernardus in epiſt. 183. ad Conradum Regem Imperatorem electum. Sanctus Hormiſda in epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem, & Sanctus Leo Nonus in epiſt. ad Michaelem Patriarcham. Qui omnes relatis S. Pauli verbis vtranque poteſtatem, imò magis ſpiritualem, veluti excellentiorem ſignificari vnanimiter ſcripſerunt. Et quamuis Gregorius Nazianzenus oratione 18. ad Ciues trepidantes, loquens de ſeculari poteſtate, ſe quoque annumerare videatur inter eos, qui præ excellentibus poteſtatibus parere debent, id fecit humilitatem inſinuans, vtque leuiora,quæ ciuibus ſuadebat, cum ſe quoque illis ſocium præberet, viderentur. Quod ex duobus potiſſi-

mũ liquet. Primo,quia eodem loco ſe etiam ſceleratis,ac facinoroſis admiſcet,conſociatq. ibi ob ſcelera, ac flagitia noſtra;cũ tamen non minus vitæ innocentia, ac ſanctimonia, quã doctrina, eloquentiaq. præſtaret. Secundo, quia paulo poſt ad ipſum Imperatorẽ, ac Præfectos orationem conuertens, perſonam Ciuis exuens, & Epiſcopi induens apertè docuit Imperatores, ac Principes ſæculares ipſius Spirituali Poteſtati,ac Tribunali eſſe ſubiectos, his verbis: Quid verò vos Principes, & Præfecti? Nam vos quoque meæ poteſtati,meoq. Tribunali lex Chriſti ſubijcit: Imperium enim ipſi quoque gerimus, addo etiam prꝛſtantius, & perfectius, niſi oportet ſpiritum carni cedere, ac terrena cꝛleſtibus.

Ex loco Ioannis 19. vbi Chriſtus reſpondit Pilato: non haberes poteſtatem aduerſus me, niſi tibi datum eſſet deſuper, non elicitut Pilatum fuiſſe Chriſti iudicem ordinarium, quia verba illa intelliguntur de poteſtate ex Dei permiſſione. vt ſit ſenſus, nulla aduerſus me poteſtate vti poſſes, niſi Deus hoc tibi permitteret, ita poſt Chryſoſtom. & gl.declarat Præpoſit. in d.cap. verum 96.diſt. col.10. addens exemplum Imperatorum, ac Iudicum ſæcularium, qui,tametſi eis à Deo permiſſum fuerit,multos Martyres iudicijs, & ſententijs trucidare, non propterea intelliguntur fuiſſe Iudices Sanctorum Martyrum. Caietanus autem allegatus in 2. 2. quæſt.62.art.1.de hac materia non loquitur. Sanctus autem Auguſtinus, & S. Bernardus non pronunciant, nec examinant, an iudicium Pilati legitimum fuerit, vel vſurpatum; ſed tantum aiunt, talem poteſtatem à Deo habuiſſe. Quæ verba cum ſint conformia verbis Euangelij, conformem quoque recipiunt expoſitionem, vt ſcilicet Pilatus talem ex Dei tolerantia nactus fuerit poteſtatem.

Verum etſi aduerſus huius opinionis veritatem, & tantorum virorum auctoritatem admitteretur contraria opinio, quod huiuſmodi exemptio quoad temporalia non ſit de iure Diuino, quam pauciores, nec tantæ auctoritatis Interpretes ſectantur Laur. & Bellamer. in d. cap. ſi Imperator. Couar.

poſt

poſt Medinam, & alios in d. quęſt. 31. num. 2. & recentiores aliquot Theologi, quos refert, & ſequitur Molin. de iuſtit. tract. 2. diſput. 31. verſ. tertia concluſio. Nam Nauar. citatus à Molin. cap. 27. n. 119. de hac materia ibi non loquitur, & Caietan. in Sum. in verb. excommunicatio cap. 37. rectè perpenſus de hac quæſtione non agit. Innocentium autem in d. cap. 2. de maior. & obed. & Oldrad. in. d. conſ. 83. inter huius opinionis aſſertores enumerare non auſim, cùm duas proponant opiniones, nec in quam ſint proniores, ſatis explicent, vt certè neceſſe erat, ſi alterutri erant adſcribendi, cum in re tanta periculoſum ſit valde ei regulæ inniti, quod probata videtur opinio, quæ poſteriori loco refertur. adeò vt mirum nõ ſit ſi Rota d. deciſ. 10. recenſeat Innoc. inter ſentientes exẽptionẽ clericorum eſſe de iure diuino. Si (inquam) contraria opinio admitteretur, nihilominus tamen firma eſt, atque inconcuſſa huiuſmodi exemptio perſonarum eccleſiaſticarum a laica poteſtate. Nam cum ea conſtitutionibus Pontificijs, & conciliaribus decretis ſupra relatis pleniſſima conſtituta ſit, valida haberi debet perinde, ac ſi iure Diuino eſſet inducta. Nam Papam, cuius poteſtas eſt a Deo, potuiſſe Clericos à ſeculari iuriſdictione etiam in temporalibus eximere, omnes Theologi & Canoniſtæ, qui in priori articulo variarunt, vno ore cõſentiunt, ſequuti Innoc. in d. cap. 2. de maior. & obed. & Oldrad. d. conſ. 83. vt videre eſt apud Couar. d. cap. 31. n. 3. Sot. Victoriam, & alios relatos à Molin. d. diſput. 31. in 3. & 4. concluſ. qui oẽs concordi ſententia pronuntiant hãc exemptionem iuri naturali ac diuino, ſanctorum Patrum teſtimonijs, publicisq́. Imperatorum conceſſionibus conſentaneam eſſe, Pontificemq́. pro ſumma ſua in ſpiritualibus poteſtate, & regimine ſibi à Deo commiſſo, iure potuiſſe, ac debuiſſe perſonas eccleſiaſticas ſibi in ſpiritualibus ſubditas, etiam in temporalibus a ſeculari eximere poteſtate; tũ vt Diuino cultui ac ſpiritualibus negotijs magis aſsiduè vacarent, dum ad forum ſeculare euocari nequirent, tum vt eorum magis in laicos auctoritas emineret, quæ valde vileſceret, ſi eorum foro, ac legibus ſubderentur, ab eisq́. pro imperio coerceri,

carceribus mancipari, ac pœna affici poſſent. quibus rebus fracti, ac debilitati parochialem & Epiſcopalem in laicos iuriſdictionem in confeſſionibus, & alijs actibus ſalutem animæ reſpicientibus liberè, & pro tanti muneris maieſtate,nec poſſent,nec auderent exercere.

Itaque ſi Reſpublica, quod ait Frater Paulus, pro indubitata habet opinionem Theologorum, & præſtantiorum, vt eos appellat, Canoniſtarum, exiſtimantium exemptionem non eſſe iuris diuini,cum poſtea ijdemmet Theologi,& præſtantiones Canoniſtæ, qui à cæteris diſſenſerunt, vnà cum cæteris conueniant, ſummum Pontificem clericos à ſeculari poteſtate eximere potuiſſe,qua de cauſa Reſpublica eorum in priori articulo opinionẽ, etſi ab alijs diſcrepent,amplexa, in poſteriori,in quo ipſi cum alijs conſentiunt,ab eorum opinione diſcedit? Tanti fiunt à Veneta Republica Theologi ſupradicti,& Canoniſtæ iſti præſtantiores,dum aduerſus tantos, & tam graues Auctores loquuntur: cum poſtea ijdem Theologi,& Canoniſtæ docent idem, quod omnes alij ſupra citati,ab eadem Republica cõtemnuntur? Cum ſoli ſunt, eos auctores habet, eorum doctrinam ſequitur Reſp. cùm omnibus alijs auctoribus ſe adiungunt, nihil apud eam ponderis habent? In priori articulo aduerſus immunitatem adhæret Reſpublica paucis, in poſteriori pro immunitate nec frangitur,nec mouetur auctoritate omnium? Moderationis certe & grauitatis fuerit vel ex hoc id,quod re ipſa verum eſt,agnoſcere,quod quoquò ſe vertat laica poteſtas, hãc exemptionẽ firmiſſimam,& validiſſimam & ſolidiſſimam deprehendit.

Bona autem eſſe & ipſa à iuriſdictione Principis ſecularis exempta,magna Epiſcoporum omnium conſenſione,& vehementi in laicos ſibi in illa ius aliquod vendicãtes increpatione, declaratum fuit in Synodo Romanã 3.cap. 1. relato in cap.benè quidem 96. diſtinct. & in Synodo Romana 6.cuius decretum refertur in cap.in Canonibus. 16.q.1. in concilio Lateranenſi ſub Innoc.3.cap.44. relato in cap.cum laicis, de reb.eccleſ.nõ alienan.& in cap.eccleſiæ S.Marię de cõſtit.

Cum igitur tam perſonæ eccleſiaſticæ, quam eccleſiarum

bona

bona ſint exempta à iuriſdictione Principis ſecularis, infertur neceſſariò Principem ſecularem nullam ſibi auctoritatem, aut iuriſdictionem in perſonas, & bona prædicta poſſe vendicare, vt de vtroque eſt text.in d.cap.eccleſia S.Mariæ, in d. cap.cum laicis, & in cap.inter hæc. 33.q.2. vbi dicitur, ſanctã Dei eccleſiam nunquam humanis legibus conſtringi, & clamant paſsim Interpretes omnes in locis ſupra citatis. Ideoq́. conſtitutionem editam à quocunnque ſupremo Principe, ſi de perſonis eccleſiaſticis, & bonis eccleſiaſticis loquatur, eſſe nullã ex defectu poteſtatis, habetur in d.cap.cum laicis, & in cap.eccleſię S.Mariæ. vbi Abb.n.15. Dec.n.24. Anchar.in cap.1.quæſtione 9. de conſtit. à qua concluſione nemo diſſentit, nec diſſentire poteſt, cum poteſtas ſtatuendi à iuriſdictione dependeat. Bart. in l.omnes populi in 1.quæſt. in princ.de iuſtit.& iur.l. fin. vbi notat Bald.C. de iuriſd. omn. iud.Rom.conſ.218.n.2. & alibi ſæpè DD. & in quocunque actu ad validitatem illius neceſſaria ſit iuſta poteſtas.cap.cũ ſuper de offic.delegat.l.cum te, vbi Bald.n.1.C.de donat.ante nupt.Idque multo magis procedit, vbi lex arctat, præcipit, aut prohibet, Nauarr.conſilio 4.num.5.verſ.3.lib.1.Neapodan. in conſuetud. Neapolitan. num.309. cum ſequen.& multò etiam magis, cum eſt Eccleſijs damnoſa, aut oneroſa vt declarat Abb. in dict. cap. eccleſia S.Mariæ numero 24. Imo lex ſecularis ſtatuens de eccleſiarum bonis, aut perſonis eccleſiaſticis dicitur etiam aduerſa immunitati & libertati eccleſiaſticæ, quoties eis aufert priuilegiũ conceſſum à Deo, à Papa, vel ab Imperatore, vel adimit ea, quæ illis competunt de iure cõmuni Canonico, vel Ciuili, vel Clericos reddit timidiores ad faciendum id, quod liberè facerent ſtatuto ceſſante.Hæc eſt recepta omnium ſententia, & in Auth.caſſa & irrita. C. de ſacroſ.eccleſ. & in d.cap.eccleſiæ S.Mariæ, vbi Decius n.2.cum ſeqq.totam hanc materiam ex probatis auctoribus luculenter diſtinguit, & in capita digerit. Imol.in cap.nouerit de ſent.excom. Bald.in conſ.134. in 5.vol.Iacob. à Canib.in tract.de repreſ.in 2. parte n.7. Opiz. in l.filius fami-

milias.§.Diui n.93.& 94. & ibi Crot.n.84.Loaz. latiſsimè n. 159.de legat.2.Chaſſan.in conſuet. Burgund. rubr.9.§.10.n. 50.adeò vt communi ſcribentium conſenſu redarguatur, qui ad infirmandam eccleſiaſticæ libertatis auctoritatem affirmat non ſatis eſſe definitum, quomodo, & qua ratione violetur. Iacob.Mandel.conſ.8.n.3.vbi id declarat locum habere ſiue directè, ſiue indirectè ſeculari lege eccleſiaſtica libertas impetatur, iuxta c.ſtatutũ de hæret.in 6. c.clericis. §.nos igitur de immunit.eccleſ.in 6.Huius autẽ libertatis eccleſiaſticæ nomẽ & originẽ à diuina Scriptura prodire, ſcilicet ex loco S. Matthæi,vbi Chriſtus loquens de tributo dixit: Filij ergo liberi ſunt, & multo ante quam Honorius 3. ad Pontificatum eſſet euectus, videlicet in Concilio Lateranenſi ſub Innoc.3.c.44. eiuſdem libertatis mentionem habitam,ac vetuſtioribus etiã temporibus, ac deinde ſequentibus creberrimè in generalibus Cõcilijs inculcatam, defenſam, à ſummis etiam Imperatoribus ita appellatam,ac roboratã videre eſt apud Illuſtriſſ. Baronium tom.3.Annal.anni 313.& anni 314.ac in vniuerſo opere,vt iam nihil opus ſit confutare eos, qui id nomen nouum eſſe,& Honorium 3.anno 1220primum huius vocabuli meminiſſe aduerſus omnia hiſtoriarum, & conciliorum monumenta affirmare non dubitarunt. Principes autem huiuſmodi legibus eccleſiaſticam immunitatem violantes, in ſententiam excommunicationis incidunt ipſo facto cap.fin. de immunit. eccleſ. in 6.cap. nouerint de ſent. excom. Ex prædictis euidenter infertur lege prædicta Rempub.ſibi Eccleſiæ ius aſſumpſiſſe, eccleſiaſticamq́. libertatem, & immunitatem violaſſe, cum de perſonis eccleſiaſticis & bonis Eccleſiæ, quibus actionem vel adimit,vel denegat, & de bonis eccleſiaſticis,in quibus conſolidationem,& prælationem excludit, expreſſè diſponat, & quidem verbis præcipientibus, atque cum inſigni Eccleſiæ læſione,quod etſi ex ſolidis concluſionibus ſæpius poſitis, & comprobatis appareat, ad clariorem tamen veritatis demonſtrationem non eſt prætermittendum,in ſpecie bonorum Emphyteoticorum Interpre-

tes

309

tes hoc idem tradidiſſe,affirmantes Principem laicum poſſe quidem ſtatuere de ratione ſuccedendi in vtili dominio inter laicos, quia hoc non intereſt Eccleſiæ,non autem quoad ipſas Eccleſias, vel earum iura. Anchar.conſ.433.n.3.Raph. Fulgoſ.conſ.2.n.2.Abb. in cap.quæ in Eccleſiarum, de conſtit.n.2.Imol.n.7.Dec.n.6.Beroald.n.16.dicens legem Principis laici de dominio directo diſponentem eſſe ipſo iure nullam etiam in vtili dominio ratione connexitatis. Clar.in §. emphyteuſis quęſt.28.n.7.vbi hanc opinionem eſſe ait indubitatam,& communem omnium DD.Idq.etiam definitum videtur in generali concilio Lateranenſi relato in cap.fin.de immunit.eccleſ.in 6.

Nunc ſupereſt,vt reſpondeatur obiectionibus legē defendentium,quæ ſunt infraſcriptæ.

Primò ea lege nullā haberi mentionem bonorum emphyteoticorū,nihilq́. circa talia bona caueri tam verbis,quā mente legislatoris inſpecta:ſed agi de bonis ab Eccleſia perpetuo locatis. ac propterea mirum eſſe ſummum Pontificem leuioribus etiam cauſis maturè definiendis aſſuetum, huiuſmodi lege nec perlecta, nec perpenſa, falſis aliorum relationibus adductum, quaſi de bonis emphyteoticis in ea lege ſtatueretur, in Senatum, ac Ducem Venetum legis auctores excōmunicationis ſententiam promulgaſſe.

Secundò tam iure communi, quàm illarum regionum cōſuetudine inductum, atque receptum eſſe, vt nullis vnquam prælationibus,aut conſolidationibus directi,vtilisq́. dominij in huiuſmodi bonis ab Eccleſia perpetuò locatis locus eſſe debeat,idq. ob ſummam æquitatem, ne laboribus, quos vtiles domini in agris ad culturā redigendis hauſerunt, ipſos fraudari, multaſq. propterea familias ad inopiam redigi contingat.

Tertiò cauſam bonorum perpetuò locatorum inter Monachos prælationem prætendentes, ac laicos Patauinos ad tribunal ſeculare fuiſſe delatam.Ideoq.Principem ſecularem potuiſſe ſuo magiſtratui regulā præſcribere,ac ſtatuere,quid

eſſet ab eo, alijsùe magiſtratibus ſecularibus in huiuſmodi cauſis decernendum; ea nimirum ratione, quod cum magiſtratus laicus ſit iudex competens in cauſis horum bonorum inter laicos, eccleſiaſticaſque perſonas, vbi laicus conuenitur, ad Principem quoque laicũ de ijſdem bonis ſtatuendi poteſtas pertineat; ſiquidem ſtatutis ligari, & forum ſortiri à pari procedunt.

Quantum ad primam obiectionem attinet, Dux ac Senatus Venetus iure quidem conqueri poſſent, ſi ſummus Pontifex, quod non ſtatuerunt, pro ſtatuto habens, commentitia impulſus cauſa, in eos excommunicationis ſententiam tuliſſet; nedum enim tantam Rẽpub. ſed quemuis priuatum, re vel inexplorata, vel imcomperta, excommunicationis mucrone feriri iniquiſſimum eſſet, atque à mente ſacrorum Canonum, atque Eccleſiæ conſuetudine penitus alienum. Verũ de bonis emphyteuticis ea lege cautũ eſſe, clarum eſt adeò, vt nullus dubitandi locus relinquatur, ſiue verba legis, ſiue mentem ſpectemus. Quod vt magis planum fiat, meminiſſe oportet, locationem perpetuam differrè ab emphyteuſi, & de vtroque contractu extare titulum ſeparatum in Codice, vt habetur in l. 1. C. de iur. emphyteut. & inter vtrumque contractum plures ſunt differentię, quas ſigillatim recenſent DD. in d. l. 1. C. de iur. emphyt. quarum duæ ſunt præcipuæ. Altera, quod bona perpetuò locata ab eccleſia etiam ad extraneos perueniunt hæredes, adeò vt linea conductorum extincta, ad eccleſiam non reuertantur. Bald. in cap. litteræ n. 3. de dilat. Ruin. in conſ. 161. n. 3. vol. 1. Bona verò ab Eccleſia in emphyteuſim conceſſa ad extraneos hæredes non tranſeunt, ſed linea deficiente redeunt ad Eccleſiam, quod omnes DD. fateri teſtatur. Gozad. conſ. 75. num 9. Altera differentia eſt, quod in contractu locationis ſtatuitur penſio fructibus correſpondens Bald. in d. cap. litteras num. 3. Alex. conſ. 112. num. 3. vol. 1. In contractu autem emphyteutico promittitur quid minimum in ſignum recognitionis directi dominij. Gloſ. in cap. potuit, de locat. Iaſ. in l. 1. num. 3. C. de iur.

iur. emphyt. Alex.d.conſ.112.num.3. Verum etſi inter hos duos contractus ſint hæ differentiæ, in multis tamen conueniunt. Nam in emphyteuſi Eccleſia concedens transfert vtile dominium, & ſibi directum retinet, gl.in cap. conſtitutus,in verbo iuxta ratam,de religioſ. dom. ita etiam in locatione perpetua.l.1.§. qui in perpetuum. ff.ſi ager vectig. vel emphyt. petat. iuxta gl.in verb.domini, l.1. §. quod autem. ff. de ſuperficieb. Bald.in d.cap.litteræ num.7. & in rubr. C. de iure emphyt. nu.7. vbi Alberic.nu.3. In emphyteuſi dominus directus habet ius prælationis. l.fi.C.de iur.emphyt. cap.potuit,de locat.idem iuris habet in locatione perpetua. Bald.in l.1.§.quod autē. ff.de ſuperficieb. Ruin.d.conſ.161. num. 30. In emphyteuſi ob non ſolutionem Canonis per triennium emphyteuta cadit à iure ſuo. l. 2. C. de iur. emphyt. In locatione perpetua conductor quoque per bienniū vel triennium ceſſans, amittit rem locatam. Raph. Fulgoſ.in conſ. 240. incip. pro euidentia eorum de quibus quæritur, circa fin. Abb. & Butr. in cap.propter ſterilitatem,nu.10. de locat. Iaſ.in l.2.nu.39. C. de iur. emphyt. Non eſt autem perpetuum, vt locatio perpetua, & emphyteuſis conueniant, diſcrepentq́. in omnibus ſupra dictis. Nam poteſt conſtitui etiam emphyteuſis cum magna penſione fructibus correſpondente, & tunc ea emphyteuſis propè accedet ad naturam locationis perpetuæ, in eaq́. remiſſio ob ſterilitatem habebit locum, perinde ac in locatione. Alexand. d.conſ.112.nu.3. Ruin.d.conſ.161.nu.24.& 25. Poteſt item emphyteuſis Eccleſiaſtica ita creari, vt ſit ad quoſcumque hæredes etiam extraneos tranſitoria, ſicut ſuaptè natura eſt locatio perpetua,vt cum conceditur pro ſe & hæredibus, & quibus dederit. Curt.iun.conſ.130.num.2. & in ſumma hi contractus ex conuentione legem accipiunt, vt tradunt omnes in l.1.C.de iur.emphyt.vbi in ſpecie Alberic. num.2. ait contractum emphyteuſis non habere formam,aut naturam limitatam, ſed in eo voluntatem contrahentium eſſe ſeruandam, vt probatur text. in l.2. in princ. eod. tit. Quo

ſit, vt in vtroque poſſint contrahentes ſtipulari, ac promittere quid diuerſum à natura contractus, & ita in locatione perpetua apponere qualitatem emphyteuſis, & in emphyteuſi qualitates locationis perpetuæ. Quæ cum ita ſe habeant, & omnia verba huius legis non minus conueniant emphyteuſi, quam locationi perpetuæ, vtpote exprimentia omnes qualitates, in quibus emphyteuſis conuenit, cum locatione perpetua, nihil autem exprimentia propter quod locatio perpetua diſtinguatur ab emphyteuſi, fateri neceſſe eſt, de vtraque loquutum eſſe legiſlatorem. In hac enim lege de dominio directo, & de vtili agitur, de prælatione, de caducitate, quæ in vtroque contractu locum habent, ergo de vtroque lex eſt intelligenda, iuxta regulam, Cui conueniunt verba legis, conuenit & eius diſpoſitio. Nec refert quod de emphyteuſi nominatim mentio non fiat, cum omnes qualitates emphyteuſi competentes exprimantur. contractus enim magis dignoſcitur, & conſtituitur ex declaratione effectuum, quam ex denominatione l. inſulam. ff. de præſcript. verb. Bald. in l. 1. nu. 3. C. de iure emphyt. l. ſi ſtipulatus. ff. de vſur. Iaſ. in d. l. 1. nu. 45. & ſatis dicitur expreſſum, quod verbis generalibus continetur. l. fin. iunct. gl. C. quod cum eo. Bald. in l. Prætor. ff. de iudic. Iaſ. in l. 1. nu. 14. ff. de vulg. & pupill. & cum emphyteuſis ſit vna ex ſpeciebus contractus, ad quas refertur lex loquens generatim, ſpecies verè, & propriè continetur ſub genere, vt Dialecticis, & Iuriſperitis notiſſimum eſt principium. Præterea cum in emphyteuſi poſſint paciſcentes conuenire præter ordinariam eius naturam, nempe vt tranſeat ad extraneos hæredes, vtq. prælationis ius directus dominus nõ habeat, certè talis emphyteuſis, immutata eius natura, iiſdem verbis includeretur in lege, quibus includitur contractus perpetuæ locationis. Apertè igitur conſtat ex verbis legis, de contractu emphyteutico actum eſſe. Verum id etiam magis conſtat ex mente, quia cum hæc lex prohibeat, ne perſonæ Eccleſiaſticæ, & loca pia ius prælationis, conſolidationis, vel caduci-

cita-

citatis pretendant, & hæc iura magis in emphyteuſi, quam in locatione perpetua, vt ſupra oſtendimus, prætendi poſſint, apparet, legislatorem magis de emphyteuſi, quam de locatione perpetua ſenſiſſe. Quod autem dictum eſt emphyteuſim in lege compræhendi, quamuis ſimul in ea compræhendatur locatio perpetua, affirmari etiam poteſt quoad, cæteros contractus liuelli, & feudalis, vel alterius ſimilis, qui cum iuxta ſuos notiſſimos terminos & ipſi directum, & vtile dominium ſeparent, prælationemq́. & caducitatem admittant, poſſunt & ipſi lege compræhendi, ita tamen, vt nunquam ſequatur emphyteuſim, cui verè, & propriè legis qualitates conueniunt, in lege non contineri. Quin etiam ad id probandum fruſtra fortaſſe labor ſuſcipitur, cum huiuſce legis defenſores, tametſi aſſeuerent, quod mentio bonorum emphyteoticorum non vi è ne in parole, nè in ſenſo, & quod quell'emphyteoticis non vi è ne formalmente, nè in parole equiualenti: tamen præualente veritate, prius dixerant, che quella legge è più ſopra beni cenſuali, ò locati per lungo tempo, che emphyteotici, & paulò poſt affirmant, che la legge del Senato generalmente parla di tutti li contratti, ò modi di poſſedere, doue dui dominij vtili e diretti reſtano diuiſi. Quod cum propriè eueniat in contractu emphyteutico, abſque dubio lex prædicta de eo formaliter loquitur. Indubitatum eſt itaque, in lege ſupradicta ſtatui de bonis emphyteoticis ab Eccleſia conceſſis, quamuis etiam in ea ſtatueretur de alijs ſpeciebus contractuum, in quibus vtile dominium ſeparatur à directo. Quamobrem valde mirandum eſt Legis defenſores in tantas querimonias erupiſſe, perche ſua Santità habbia nel monitorio riſtretto ad vna ſpecie ſola quello, che è detto in genere. Si Reſpub. de pluribus contractuum ſpeciebus legem Eccleſiaſticæ immunitati aduerſam tulit, & Summus Pontifex vnam in monitorio recenſuit, quod verum eſt, narrauit, nec vlli iniuriam fecit, potiusq́. extenuauit delictum, quam amplificauit. Pontificis autem miniſtri, qui legem de pluribus contractuum

ſpeciebus diſponentem, ad vnam tantum coarctarunt, leuius, non grauius, lenius non acerbius facti ſpeciem ſummo Pontifici retulerunt. Nouum hoc eſt, vt qui plura vulnera intulit, de vno tantum iudici relatum eſſe, atque vnius tantum in condemnatione rationem habitam, dolenter accipiat. Quod ſi Monitorij verba fuiſſent iuxta hanc querimoniam emendanda, nedum de bonis Eccleſiaſticis emphyteoticis, ſed etiam de liuellarijs, de feudalibus, de perpetuò locatis idem ſtatutum eſſe, exprimere, atque adijcere oportuiſſet. Quo pacto lex plures contractus Eccleſiæ ſine auctoritate irritans, vel ſaltem plurimum extenuans, ac in pluribus Eccleſiaſticam lædens immunitatem, tantò magis ſummum Pontificem pro Apoſtolico munere commouiſſet. Ex quibus ſatis, ſuperq. reſponſum videtur priori obiectioni ſuprapoſitæ.

Quoad ſecundam obiectionem hæc lex defendi non poteſt iure communi, cum tollat prælationem, caducitatem, & conſolidationem, quæ de iure communi habent locum in contractu emphyteuſis, liuellario, & feudali, vt in locis vulgatis nemo negat, imò etiam in contractu locationis perpetuæ eſt locus prelationi, & caducitati ob non ſolutionem, vt ſupra dictum eſt, & vtcumque ſe res habet, id ſtatuere non pertinet ad iudicem ſecularem. Nec obſtat, quod plerique DD. exiſtiment, etiam in emphyteuſi Eccleſiæ teneri dominum directum extincta linea proximioribus agnatis illam concedere, atque ideò ſublatam eſſe deuolutionem ob lineã finitam. Ruin. conſ. 12. nu. 22. vol. 1. Dec. conſ. 131. Bero. conſ. 38. lib. 1. quo pacto Eccleſia hac lege nullum videtur accipere detrimentum. Primò namque reſpondetur, hanc opinionem ſaltem vbi Eccleſia vult pro ſe retinere, frequentius eſſe improbatam, Nic. Mil. in repert. verſ. emphyteuſi finita. Abb. in cap. bonæ poſt numerum 28. de poſtul. Prelat. Curt. Senior conſ. 47. num. 10. Ruin. ſibi contrarius conſ. 152. lib. 1. Gozad. conſil. 39. col. pen. verſ. 3. lib. 1. Ripa in l. 1. in 2. declaratione. ff. de priuil. creditor.

Secun-

Secundò, quia etſi vera eſſet opinio excludens conſolidationem, tenetur tamen agnatus infra annum petere inueſtituram cum ſolutione laudemij, alioquin ius petendi expirat, ſaltem vbi intra illud tempus inueſtitura conceſſa eſſet alteri non proximiori, gl. in cap. Titius, ſi de feu. fuer. contro. int. dom. & agnat. Alex. conſ. 15. num. 10. lib. 5. Decius conſ. 328. num. 4. & alij paſſim. Hac autem lege robur habente, nec inueſtituræ petitio, nec aliud factum eſſet neceſſarium. ſed ſubſata eſſet perpetuò omnis ſpes conſolidationis. Tertiò, quia etiam d. opinione contra Eccleſiam conceſſa, ſi nulli extarent agnati, emphyteuſis pro ſe, filijs, & nepotibus recepta ad Eccleſiam reuerteretur, nec ad extraneos hęredes trāſmigraret, vt ſuperius dictum eſt, adeò vt nequaquā verum ſit, quod ex aduerſo affirmatur, DD. animaduertentes laicorum detrimentum, deuolutionem ex capite lineæ finitæ prorſus ſuſtuliſſe, cum etiam ſecundū hanc opinionem, quæ tamen non eſt receptior, non ſit ſublata deuolutio non extantibus agnatis. Quartò, quia etiam ſi ob lineæ extinctionem ceſſaret deuolutio, ſupereſſent alia deuolutionis capita, ob alienationem ſequutā irrequiſito domino, vel quod emphyteuta in re emphyteutica malè verſaretur, vel pacta non ſeruaret, qui caſus deuolutionis omnes hac lege exploduntur. Quintò, quia huius articuli diſputatione in præſentia omiſſa, ſiue deficiente linea reuertantur ad eccleſiam, ſiue proximiori agnato rurſus concedi debeant, quod à prudenti, iuſtoq. iudice, eueniente caſu, erit iudicandum, Princeps ſecularis nec legis hac de re condendæ, nec alterutri opinionis approbandę ius habet. Quod autem dicitur, quicquid poteſt effici pacto, poteſt etiam conſuetudine induci, & Principis lege caueri, ita profecto verum eſt, ſi ijdem ſemper termini retineantur, vt quod poteſt fieri pacto laicorum duntaxat, poſſit etiam induci conſuetudine laicorum, & conſtitui lege Principis laici: at verò quod pacto Eccleſiaſticarum perſonarum de re Eccleſiaſtica caueri poteſt, nec laicorum propterea effici poteſt conſuetudine, nec Principis laici authorita-

re conſtitui. Conſuetudinem verò, quæ in hoc negotio prætenditur, vix eſt, vt de iure valida eſſe poſſit; & quatenus de iure valida eſſet, valde dubitandum, in hoc caſu non concurrere requiſita ad eam inducendam. De iure quidem talem conſuetudinem Eccleſijs adeò grauem non eſſe validam, meritò dubitari poteſt ex his, quæ tradunt DD. in cap. cum cauſa. de ſent. & re iud. vbi Abb. n. 15. Quatenus autem ius Canonicum illam non reijciat, non concurrere in ea, quæ requiruntur, inde perſpicitur, quod cum Prælatio, & deuolutio, ſeu conſolidatio non procedat niſi domino volente, vt de prælatione eſt text. in d. cap. potuit. de locat. & in l. fin. C. de iur. emphyt. & de deuolutione & cõſolidatione, tradit Curt. iun. poſt alios in conſ. 110. n. 23. & cum colligatur ex ſcriptis legem defendentium, ideo prælationi, atque conſolidationi locum hactenus non fuiſſe, quia Eccleſiaſtici alienationes bonorum huiuſmodi nunquam impediuerunt, & ſi qu ando impedire voluerunt, eis obſtitit Princeps; qui decretis, & iudicijs editis nunquam voluit, che habbiano loco coſi fatti penſieri, & in ſpecie anno 1476. ſcripſit Prætori Montis Selicis in hæc verba: Nunquam pati volumus etiam in bonis Eccleſiaſticis quenquam, qui tenuerit agrum aliquem iure libelli, quem ſumptibus, & laboribus ſuis meliorauerit, ſic de facto exſpoliari, ſed tantum quod ſoluat libellos non ſolutos; conſequẽs eſſe videtur, vt conſuetudo non extet; cum hac in re non potuerit induci niſi à tempore, quò Eccleſiaſtici contendentes præferri, excluſi fuerint. Alex. conſ. 136. n. 19. l. 2. & conſ. 6. l. 5. Cardin. conſ. 133. nu. 4. excluſio autem in hoc caſu prouenerit ex facto Principis laici, quod nedum non inducit conſuetudinem, ſed eam naſci vetat, cum actus ſubſequuti tribuendi ſint potentiæ, & mandato Principis ſecularis ita volentis, non autem tacito conſenſui perſonarum Eccleſiaſticarum, qui erat ad conſuetudinis validitatem neceſſarius, iuxta determinationem Bart. in l. de quibus n. 10. ff. de legibus. vbi ait, ad validitatem conſuetudinis requiri tacitum conſenſum eorum, qui expreſsè legem de ea re ferre

aut

aut per ſuum conſenſum expreſſum ſibi præiudicare potuiſſent. idẽ ſcripſerunt Bart.cõſ.136.in fin.lib. 1. Alex.cõſ. 173. n.12.lib.6.Rol.conſ. 5.n.44.lib.1.vbi ex cõmuni DD.ſẽtẽtia oſtendit nullam eſſe conſuetudinem prouenientem ex facto illius, qui de ea re, in qua conſuetudo allegatur, ſtatuere nõ poteſt. Quæ ideo dicta ſunt, vt demonſtretur allegatam conſuetudinem, quatenus de ea cõſtaret cum qualitatibus, quas legem defendentes illi ineſſe præſupponunt, nec legitimam, nec iuri conſonam eſſe, non autem vt ſi in ea concurrant requiſita, & nõ à Principis ſecularis decreto, ſed a perſonarum Eccleſiaſticarum tacito, ſed vero conſenſu originem duxerit, ac ſtato tempore durauerit, & a ſacris Canonibus non improbetur, eam ullo pacto velimus euerſam. Iuribus laicorum officere, in eosq́. aſperè & violenter agere non eſt conſuetutudinis Eccleſiæ, omnesq́. norũt quanta cũ æquitate, & moderatione in Rotæ auditorio, quoties de caducitatibus & deuolutionibus agitur, huiuſmodi cauſæ Romæ definiantur, admiſſis facile excuſationibus laicorum pænas caducitatis, & deuolutionis vitare contendentium. Si igitur conſuetudo requiſitis qualitatibus non caret, allegent eam laici in iudicijs, ſuoq́. iure utantur, dum tamen contra Eccleſiaſticæ perſonæ aduerſus legis eſſentiam & validitatem, quæ voluerint, deducere non prohibeantur, vt proculdubio prohiberentur, ſi prætenſa conſuetudo auctoritate Principis laici de facto muniretur, ab eo in ſcripturam redacta. Nouum enim ex hoc ipſa conſuetudo nanciſcitur robur, quia poteſt agi tam ex conſuetudine, quam ex iure ſcripto, & conſuetudinem adducens releuatur ab onere probandi. Bart.in l.1.n.8.ff. de legib. Nec eſt quod huic legi color quæratur ex æquitate, ne videlicet, qui agros ingenti ſumptu, ingentiq́. labore coluerunt, tantam faciant iacturam. Nam prætcrquã quod inferius probabitur, cauſam non tribuere ſtatuendi facultatem, remediumq́. petendum fuiſſe à Sede Apoſtolica; in præſenti mate ria illud etiam eſt obſeruandum, quod ſacri Canones etiam eò reſpexerunt, ne qui agrum emphyteuticum vel perpetuò

lo-

locatum poſſident, ſuos ſuorumq. maiorum labores deplorare cogantur; ideò prouidè,& æquiſſimè ſtatuerunt, vt emponemata,ſeu meliorationes ſuas vendere poſſeut,requiſito prius Domino Directo, vt habetur in cap.potuit,de locat.ſic etiam ſi Eccleſia in caſu, quo de iure tenetur, deneget inueſtituram,quaſi iniuriam inferat,proditum eſſe aduerſus eam appellationis remedium ſentiunt Canoniſtæ ſequuti Bart. in l.1.§.permittitur ff.de aq.quot.& ęſtiu.Multa alia æquiſſimè, ac leniſſimè a ſacris Canonibus conſtituta ſtudio breuitatis omittuntur,ex quibus, vbi ratio ſuadet, emphyteutarum,ac aliorum laicorum indemnitatibus abundè proſpectum eſſe nemo inficiari poterit. In alijs autem caſibus, in quibus ex pacto, & ſtipulatione, atque ex natura rei, æquitate etiam ſuggerente, dominium vtile cum directo conſolidatur, vel prælationi locus eſt,Eccleſiam ab huiuſmodi actione ex contractu deſcendente depellere tam iniquū eſt,quam ius quæſitum auferre, quod non ſolum in perſonas Eccleſiaſticas, ſed nec in ſubditum ſuum Princeps ſecularis ſe moderatius gerens ſtatuere debuiſſet, etiam ex plenitudine poteſtatis, ne ius auferat quæſitum ex contractu, Bald. in cap. 1. §. ad hæc de pact.iuram.firman.Dec.conſ.410.num.22.

Quod pertinet ad tertiam obiectionem, Eccleſia domina directa contra emphyteutam agens condictione ex cap.potuit, de locat. vel rei vindicatione, vel interdicto vti poſſidetis, vel conditione ſine cauſa, quæ ſunt remedia ei competentia. Specul. lib.3. tit.de emphyteuſi verſ. 39. tametſi poſſit ratione bonorum Eccleſię illum conuenire coram Iudice Eccleſiaſtico, cap.ſi Clericus laicum, de for. comp. vbi Socin. poſt Innocen.& alios declarat,quod vbi actio non eſt merè perſonalis, vt eſt ea, quę competit Domino directo, ſed in rem ſcripta, & laicus non negat rem eſſe Eccleſiæ,poteſt ſemper conueniri coram Eccleſiaſtico, adeò vt hoc caſu actor non teneatur ſequi forum rei; tamen poteſt etiam Clericus contra eundem laicum experiri in foro laicali, ſi velit, cap.cum ſit generali,de for. comp. idq. eſt in electio-

ne

ne actoris, cap. dilecti, eod. tit. Socin. ibid. nu. 6. Cum autem Eccleſia eligit laicum reum conuenire pro re Eccleſiæ coram Iudice laico, cum talis actio non ſit merè perſonalis, quamuis quoad litis ordinationem ligetur lege laici Principis, tamen in reſpicientibus litis deciſionem, non laicali legi, ſed tantum ſacris Canonibus adſtringitur, lisq. eſt ordinanda, ac dirigenda iuxta leges laicales, ſed decidenda, & terminanda iuxta ſanctiones Canonicas. Ita ſentiunt validiſsimis rationibus tam iuris ciuilis, quam Canonici Interpretes. Paul. de Caſtr. in ſcriptis Fratris Pauli ad marginem perperam citatus in l. omnes populi, num. 3. de iuſtit. & iur. Ant. in cap. quod Clericis, nu. 10. verſ. quandoque agitur de alia re, & ibi Abb. num. 15. de for. comp. Raph. Cuman. conſ. 41. num. 4. Regula autem illa, forum ſortiri, & ſtatutis ligari à pari procedunt, intelligenda eſt de foro naturali, non autem accidentali, vt declarat Cum. conſ. 138. non eſt autem naturalis Clerico forus laicalis quem eligit, vt in eo reum laicum conueniat, ac propterea etſi forum ſortiatur; ſtatutis tamen laicalibus quoad deciſionem non ligatur, vt non modo in Eccleſiaſticis bonis, ac perſonis tanta exemptione munitis, ſed in alijs quibuſcumque perſonis diuerſi fori obſeruandum eſſe docent DD. in d. cap. quod Clericis, & Calderin. ipſe, à quo regulam prædictam cæteri deſumpſerunt, in diſputatione allegata ab Ant. in rubr. de conſuet. nu. 7. & in d. cap. quod Clericis num. 10. Allegantur etiam nonnulla exempla tranſactionum in Ciuitate Patauij & Vrbini, quibus declaratum fuit, in hiſce bonis non eſſe locum caducitati, atque etiam exemplum conſtitutionis Eugenianæ, reſpiciens ciuitatem Ferrariæ, qua caducitas in his bonis prorſus ſublata fuit. Ad quæ facilis eſt reſponſio. Nam qui trãſactione Eccleſiæ, vel Conſtitutione Pontificia remouerunt caducitatem, ab habente poteſtatem, hoc eſt à ſummo Pontifice, vel ab Eccleſiarum Rectoribus, non à Principe laico remedium obtinuerunt.

SECVNDA PARS

DE LEGE ECCLESIARVM AEDIFICATIONEM PROHIBENTE.

SECVNDA lex Reipublicæ nuper edita inhæret alteri, quæ iam pridem ab eadem Republica condita fuerat. Antiqua lex prohibebat, Ne nouæ Eccleſiæ, Monaſteria, aut alia loca pia abſque licentia Senatus ædificarentur. Hæc autem cum ſolam Venetiarum Ciuitatem reſpicere videretur, Senatores anno 1603. die 10. Ianuarij aliam legem tulerunt, qua cauetur, Ne cuiquam religioſæ, vel laicæ perſonæ, Scholæ; vel Confraternitati liceat extruere Monaſteria, Eccleſias, Hoſpitalia, vel alias quaslibet Religioſorum, vel ſecularium manſiones, in Ciuitatibus, Terris, vel territorio ſubiecto eorum iuriſdictioni, ſine expreſſa Conſilij licentia, ſub pœna in antiquis Conſtitutionibus contenta, & præterea amiſſionis fabricæ, perpetui exilij à Ciuitate Venetiarum & ſuo diſtrictu, & à toto dominio Veneto.

HAec lex conuenit cũ præcedenti in eo quod ſtatuit nominatim in perſonas Eccleſiaſticas, differt autem a præcedenti, quod illa ſtatuit expreſsè de bonis Eccleſiarum, hæc expreſsè de ipſis Eccleſijs, nè videlicet eas liceat ædifiare abſque licentia Senatus. In perſonas Eccleſiaſticas nullum ius eſſe Principi ſeculari, ſuperius latè probatum fuit. In Eccleſias verò, ſeu Eccleſiaſtica negotia nullam authoritatem habere Principem ſecularem, quantumuis religioſum, & potentem, exploratiſsimum eſt: Catholicus enim Princeps filius eſt nõ præſul Eccleſiæ, & quod ad religionem pertinet, & diſciplinam, diſcere conuenit, non docere cap. ſi Imperator 96. diſtinct. nimirum ad Dei ſacerdotes Deus voluit quæ

Eccleſię ſunt diſponenda pertinere, non ad ſeculi poteſtates d.cap.ſi Imperator, cap. benè quidē,ead.diſt. Plena ſunt huiuſmodi teſtimoniorum Concilia,quibus optimi quique Imperatores,ac Reges aſſenſi ſunt.Illuſtris eſt ea de re confeſsio Baſilij Imperatoris in fine 8. Synodi. Non datū eſt (inquit) laicis ſecundum Canones decernendi quicquam de Eccleſiaſticis cauſis, opus enim hoc eſt Pontificium. Habeturq. Regis Theodorici Reſponſum profitentis, Synodalis eſſe arbitrij,in negotijs Eccleſiæ maioribus ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe, præter reuerentiam, de Eccleſiaſticis negotijs pertinere, vt refertur in cap. concilia 17. diſtinct.Eccleſiarum autem ædificationem,quæ domus Dei,& orationū ſunt, iuxta Diuinā Scripturam, & in quibus ſpecialiter Deus colitur, & diuina officia obeuntur, diuinaq́. miniſteria exercentur,eſſe negotium Eccleſiaſticum,nemo pius,& Catholicus dubitauerit, & ſatis conſtat ex eo, quod ſacri Canones prohibent Eccleſias ædificari,ſine Epiſcopi, vel Sedis Apoſtolicæ licentia, cap. nemo.cap.Baſilicas de conſecr. diſt. 1. cap.fin.de Eccleſ.ędific.cap. 1.de exceſſ.Prælat.in 6.cap.cum olim il 2.de priuil. cap. auctoritate eod. tit.in 6. ad ipſumq́. Epiſcopum, & Sedem Apoſtolicam pertinet tempus,& locū, quando,& vbi ędificari debeant,præfinire,vt traditur in locis ſupradictis.Imò debet Epiſcopus antequam fabrica inchoetur,crucem figere, atrium deſignare, & aqua benedicta conſpergere, d. cap.nemo, quod etiam iure ciuili cautum fuit in Auth.de Eccleſiaſt.tit.§. ſi quis voluerit. Præterea cum Eccleſia ſit locus ad Deum colendum ſpecialiter deputatus, conſequens eſt,vt illius ædificandæ licentiam vel concedere, vel negare ſpectet ad poteſtatem Eccleſiaſticam, cuius iudicio diſponenda ſunt cuncta ad Dei cultum pertinentia, tam ex iure diuino,quam ex Conſtantini Imperatoris cōceſſione, cap. Conſtantinus 96. diſt. Quamobrem iure dubitari non poteſt,hanc legem prohibentem ædificari Eccleſias ſine licentia Principis ſecularis, inualidam,& nullam eſſe ex defectu poteſtatis.

Imò etiam conſtat derogare libertati, & immunitati Eccleſiaſticæ, dum aduerſatur ſeu iuri communi, ſeu priuilegio, quod habetur in cap. futuram 12. quæſt. 1. vbi Melchiades Papa refert, Conſtantinum Imperatorem conceſſiſſe, vt per vniuerſum orbem Eccleſias fabricare liceret. Iam autem ex ſententia omnium Interpretum ſuperius oſtenſum fuit, conſtitutiones laicorum auferentium Eccleſijs, vel ea, quæ illis competunt de iure communi, vel priuilegia à Deo, Papa, vel Imperatore conceſſa, aduerſari immunitati Eccleſiaſticæ, ac ſubinde nullas, ac ſacrilegas cenſeri. Quod confirmatur, quia eiuſmodi priuilegium ante ortum Reipub. à Conſtantino Italiam obtinente conceſſum, non poteſt amplius reuocari. Innoc. in cap. nouit. num. 6. verſ. vel melius, de iudic. Archid. in cap. quicumque 11. quæſt. 1. Panorm. conſil. 63. in 1. par. num. 1. Cardin. conſ. 85. propè fin. verſ. alia lectura. Paul. de Caſtr. in conſ. 316. col. 3. poſt medium, Felin. in d. cap. quæ in Eccleſiarum nu. 45. vbi ait, ſicut Papa non poteſt auferre laico ius quæſitum per legem Canonicam, ita nec Imperator ius Clericis quæſitum per legem ciuilem. Alex. conſ. 209. col. 4. verſ. nec ad hoc obſtat, vol. 2. Abb. in conſ. 41. num. 3. lib. 1. Salic. in Authen. caſſa col. 2. verſ. quæro quinto. C. de ſacroſ. Eccleſ. Alciat. in tract. præſumpt. regula 3. præſ. 33. num. 4. Tiraq. de retract. lignagier §. 1. gl. 9. num. 43. Ant. Burg. in reper. d. cap. eccleſia S. Mariæ nu. 330. & 331. vbi ait, de hoc non eſſe dubitandum, etiam ſi mille legibus laicorum contrarium caueretur, imò de hoc dubitare non eſſe procul ab hæreſi. Ratio eſt, quia cum priuilegiũ confertur in non ſubditum ex diſpoſitione legis, cum in eum non poſſit valere tanquam lex ex defectu iuriſdictionis, valet tamen tanquam quaſi contractus, poſtquam non ſubditus illud ratum habuit, ad inſtar donationis, ideoq. per pœnitentiam non poteſt diſſolui abſque conſenſu vtriuſque, id eſt tam concedentis, quam eius, in quem collatum fuerat priuilegium, vt declarat Cardin. in reper. d. cap. perpendimus num. 6. verſ. reſpondeo. Idem ſentit Hoſtien. in Sum. tit.

de

de immunit. Eccleſ. §.ſed nec, prope fin. reddens aliam rationem, quod cum priuilegia ab Imperatore conceſſa, ſint à Sede Apoſtolica, cuius poteſtas Imperatoria maior eſt, confirmata; conſequens eſt, vt in illis prorſus extincta ſit auctoritas inferioris.

Obiectiones autem, quæ nouiſſimis ſcriptis aduerſus hāc opinionem adferuntur, infirmiſſimæ ſunt, vt ſingulis reſpondendo patebit.

Primò obijcitur, hac lege prohibente laicis, & Eccleſiaſticis, ne nouas ædificent Eccleſias, non exerceri iuriſdictionem ſuper re aliqua ſpirituali, ſed tantum ſuper fundo, ſeu area, in quibus Eccleſia eſſet ædificanda, talem namque fundum, ſeu aream eſſe merè ſecularem.

Huic obiectioni primo reſpondetur, hanc legem prohibere nouarum Eccleſiarum ædificationem tam laicis quam Eccleſiaſticis, nulla adhibita diſtinctione. Ideoq. per hanc legem non licet eccleſiaſticæ perſonæ ædificare nouam Eccleſiam in prædijs Eccleſiæ ſuæ, nec in ſuis prædijs, aut bonis patrimonialibus. Non licet etiam laico nouam Eccleſiam ſuo ſumptu extruere in prædio alterius Eccleſiæ, quamuis ita cum eiuſdem Eccleſiæ Rectore conuenerit. Quamobrē fruſtra ad effugiēdam notam eccleſiaſticæ immunitatis violatæ, obijcitur ea lege tantum prohiberi extructionem Eccleſiæ in ſolo ſeculari, cum lege non diſtinguente, etiam in bonis, & prædijs Eccleſiæ à laico & Eccleſiaſtico ædificari Eccleſiam vetitum ſit. Verum eſto, quod de ſolo, & fundo ſeculari tantum in lege ageretur, nihilominus indubitatum eſt, non potuiſſe Remp. id ſtatuere, cum enim de eccleſiaſtico negotio, id eſt, de ædificatione eccleſię, & ſic de cultu diuino, ac de re ſpirituali agatur, ad ſolum Pontificem pertinet jus ſtatuendi, quantumuis prohibitio dirigeretur in ſolum ſeculare ſtatuentibus ſubiectum. Cum enim materia, quæ ſub lege cadit, eccleſiaſtica, vel ſpiritualis eſt, de ea legem condere etiam in laicos foro laicali ſubiectos pertinet ad Superiorem eccleſiaſticum. Nam ex iuriſdictionibus duabus à

Deo diſtinctis,cap.duo ſunt,96.diſt.cap. ſolitæ, de maiorit. & obed.Eccleſiaſtica reſpicit finem ſpiritualem æternę beatitudinis,Secularis verò finem temporalem humanę felicitatis,cap.quoniam 10.diſt.cap.cum ad verum 96.diſt. Ad hũc verò finem inducendum, ac conſequendum ſummus Pontifex poteſtatem habet etiam in temporalia ita exigente paſtorali miniſterio, pro gubernatione & regimine gregis ſibi commiſſi, vt ad vitam perducatur æternam, vt latè probat Turrecrem. d.cap.cum ad verum num.1.verſ.tertius modus. Nauar. in relect.cap.nouit,de iudic.not.3.tit. poteſt. eccleſ. & laic. vt diff. nu.36. vbi ait, eccleſiaſticam poteſtatem ſpiritualia complectentem ad temporalia extendi, ſpiritualiũ conſeruandorum, conſequendorum, aut non impediendorum ratione id exigente. & pręcipua ratio eſt,quam reddit D.Thom.in 2.2.q.15.art.2. & repetit Prępoſ. in cap.verum in 7.col. verſ. confirmatur etiam, quia videlicet omnis perſona, vel ars,vel virtus,ad quam pertinet finis,debet diſponere de his,quę ſunt ad finem. Cum igitur hæ duę poteſtates à fine, & per materias diſtinguantur, & nedum in ſpiritualia, ſed in temporalia poteſtas Eccleſiaſtica ius habeat, quantum pertinet ad finem ſpiritualium; neceſſe eſt fateri, ius ſtatuendi de ædificatione Eccleſiæ, quæ res ſpiritualis eſt, & ad finem ſpiritualem, id eſt,ad Dei cultum,ordinata, pertinere ad ſolum Pontificem, quamuis de ſeculari,& alias Principis laici iuriſdictioni ſubiecto ſolo, ſeu fundo, in quo Eccleſia fabricari debeat,agatur. Sic Bald.in l.1.C. de Sum. Trinit. & Fid.Cathol.nu.19.verſ. ſed ego credo,docuit, ſtatutum permittens patri, vt filium ſpurium inſtituat, non eſſe validum ex defectu poteſtatis, quamuis de rebus laicalibus, & in laicos ſtatuatur, quia agitur de materia peccati.

Exempla alia multa ad id confirmandum colligi poſſent, vtputa in materijs vſurarum,ſimonię,matrimonij,de quibus tanquam ſpiritualibus Eccleſia ſtatuit in ſeculares:ſed quãdo exempla cuilibet obuia ſunt,& huius propoſitionis veritas neminem latet, ex conſulto pręter mittuntur. Quod ſi

hęc

hæc lex de Eccleſijs in ſeculari prędio non ędificandis valida eſſet,liceret quoque Principi laico prohibere,ne quis laicus domi ſuę Sanctorum imagines,vel ſignum Crucis effingi faciat,abſque ipſius laici Principis licentia; nam & hæc prohibitio in laicos dirigeretur, & in laicas domos iuriſdictioni Principis laici ſubiectas. Quod tamen quam abſurdum ſit, quantumque abhorreat ab omnibus Chriſtianæ legis principijs, nemo non videt.

Secunda eſt obiectio, non poſſe hanc legem exiſtimari aduerſam Eccleſiæ, cum de ſolo laicali ſtatuat, & Eccleſia non exiſtat, nec talis haberi,aut appellari poſſit, antequam fuerit conſtructa. Huic obiectioni,quæ parum differt à priori, iam fortè ſuperiori reſponſione fuit ſatisfactum : quia ſi non de Eccleſia materiali, quæ talis non eſt,antequam conſtruatur, at de eccleſiaſtico negotio, ac de re ſpirituali agitur. Quod ſatis eſt ad excludendam laicorum ſtatuentium poteſtatem. Sed tamen ſpecialius etiam reſpondetur, quoties materia eſt ſpiritualis, ſiue iam ſit enata,ſiue naſcitura ſperetur, aut timeatur, de ea ſtatuere pertinet ad Iudicem eccleſiaſticum. ita cum Eccleſia poteſtatem habeat in laicos ratione peccati, poteſt eos coërcere & adſtringere, nedum ratione peccati commiſſi, ſed etiam committendi, gl. quam ibi omnes Interpretes ſequuntur,in cap.ex litteris, il ſecondo, in verbo.compellas,de ſponſ. ſic etiam ſolus Summus Pontifex poteſt ſtatuere circa Matrimonia contrahenda,vel prohibenda, non autem Principes ſeculares, cum tamen de ſolis laicis tunc agatur,& de Sacramento nondum exiſtente.cap.1.de Sponſ.cap.fin.de rapt.Abb.Palud.& alij, quos refert,& ſequitur Couar. in epitom.de ſponſ.in 2.part. cap.6.num.16. ſic etiam Tridentinum Concilium nouam Matrimonijs futuris formam præſtituit. ſic ſanctę memor. Pius V. cenſibus etiam à laicis & ſuper laicali fundo creandis, ne vſuram redolerent,lege lata certos fines præſcripſit. Alia innumera exempla de induſtria omittuntur,cum ex ſupradictis iam ſatis,ſuperq́. pateat in ſpiritualibus materijs,

ſiue rei iam exiſtenti proſpiciatur, ſiue futuræ occurratur; poteſtatem ſtatuendi ad Sedem Apoſtolicam dumtaxat pertinere. Sed quid hæc ad legem oppugnandam commemorare opus eſt, cum in ea nedum de eccleſiaſtico negotio, id eſt de ędificatione Eccleſiæ, ſed de Eccleſia ipſa nedū ædificanda, ſed etiam ædificata agatur, impoſita, ſcilicet pœna amiſſionis fabricæ? ergo etiam fabrica Eccleſiæ iuribus fiſci infertur ad inſtar quarumlibet rerum profanarum? Id certè inauditum eſt, & eccleſiaſticæ immunitati contrarium, cum iuxta ſacros Canones Eccleſia cum auctoritate Epiſcopi fundata, quamuis adhuc conſecrata non ſit, gaudeat priuilegio immunitatis, gl. in cap. fin. de conſec. eccl. vel altar: quam ibi Hoſtien. Io. Andr. & Abb. ſequuntur, afferentes exemplum Clem. V. qui effractorem Eccleſiæ non conſecratæ excommunicatum declarari mandauit. Idem tradiderunt Hoſtien. in Sum. tit. de immunit. eccleſ. §. in quantum num. 10. Zabarell. in cap. inter alia in 3. quæſt. eod. tit. Marian. Socin. in cap. conqueſtis nu. 18. de ſent. excom.

Tertiò obicitur, in quolibet fundo laicali non modo priuatum, ſed etiam Principem habere dominium. l. Bene a Zenone. C. de quadr. pręſcript. l. deprecatio ff. ad l. Rhod. de iact. Indeq́. ſequi, vt quemadmodum inuito priuato Domino non liceret Eccleſiam ædificare, ita nec etiam liceat inuito Principe. Huic obiectioni reſpondetur, non eſſe vſquequaque uerum, Eccleſiam non poſſe in fundo priuati ædificari domino inuito; ſiquidem poſſe dominum ſoli ad fundum vendendum cauſa Eccleſiæ vel ædificandæ vel ampliandæ compelli, certa eſt DD. concluſio. Florian. de S. Petro in l. ſi quis ſepulchrum n. 9. ff. de relig. & ſumpt. funer. Iaſ. in l. 2. n. 4. ff. ſol. matrim. Barthol. Veron. de ſeruit. vrban. præd. cap. vlt. n. 5. vbi teſtatur, ita iudicatum fuiſſe in Ciuitate Veronæ. Tiraq. de priuil. piæ cauſ. priuil. 67. Secundò reſpondetur, aliud eſſe nō conſentire, vt Eccleſia ædificetur in proprio fundo, & aliud eſſe, lege lata in vniuerſum id prohibere, cum prior ſit actus priuati recuſantis rem ſuā in hunc vſum concedere; poſterior

ſit

ſit actus iuriſdictionem exercentis, quod non licet Principi ſeculari in materias Eccleſiaſticas, qualis eſt hæc. Imò nec priuatus fundi dominus poteſt rei ſuæ legem imponere, ne Eccleſia poſſit ibidem ædificari. l. nemo. ff. de pact. vbi habetur neminem paciſcendo efficere poſſe, ne locum ſuum ſibi liceat dedicare, & ita ibi ſentiunt Fulgoſ. Iaſ. & cæteri omnes. Tertiò reſpõdetur, non ſatis aptè argui à prohibitione priuati ad prohibitionem Principis; nam priuatus habet in ſuo fundo plenum dominium, plenamq́. proprietatem. Princeps verò tantum protectionem, iuriſdictionem, & quoddam dominiũ vniuerſaliter conſideratum, non autem vllum directum, vel vtile dominium vllius certi fundi, certivè ſoli, gl. in d. l. Bene à Zenone. Abb. in cap. nimis n. 1. de iureiur. Alex. conſ. 76. n. 7. lib. 2. & ex communi DD. ſententia. Reſtaur. Caſtald. in tract. de Imperatore quęſt. 92. lib. 2. Mart. Laud. de Princip. q. 47. Franc. Zoanet. in tract de Rom. Imper. n. 150. cum ſeqq. vbi id probat legibus, Iuriſconſultorum auctoritatibus, rationibus, & hiſtoriarum monumentis. Quartò reſpondetur, iuriſdictionem, quam habet Princeps ſecularis in fundo laicali, tunc vel conquieſcere, vel extingui, cum in uſum Eccleſiaſticum, vel ſpiritualem conuertitur, cum etiam temporalia, vt dictum eſt, ſubſint poteſtati Eccleſiaſticæ in ordine ad ſpiritualia, ac propterea accedente conſenſu priuati, cuius eſt dominium, non poſſe impediri à Principe laico, quò minus Eccleſiaſtico vſui applicetur. Alioquin poſſet etiam Princeps laicus ſuis ſubditis inhibere, ne ſacris ordinibus initiarentur, aut religionem profiterentur, quod fini æterno repugnaret, & ab omnibus iuris Diuini, & Canonici principijs abhorreret. Quintò etiam ſi præter conſenſum priuati domini, licentia Principis laici eſſet neceſſaria ad Eccleſiam ædificandam, quod tamen à veritate alieniſſimum eſt, dicimus, hanc licentiam iam fuiſſe à Magno Conſtantino Imperatore obtentam, cum conceſſit, vt in toto orbe terrarum poſſent Eccleſiæ ædificari, vt refertur in cap. futuram 12. q. 1. Quam licentiam, ſiue priuilegium, ſiue conceſſionem reuocare non

licet ex his, quæ ſupra tradita ſunt; præſertim cum Veneti Ciuitates,& oppida, quæ quondam Imperatoris fuerunt, & in quibus ius ædificandi Eccleſias abſque Principis ſecularis licentia iam erat receptum, poſsideant. Imo etiam & ipſi ſiue Imperatoris priuilegio immunitatem conſequuti, quod Alber. de roſat. aurea bulla bullatũ inſpexiſſe teſtatur in l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ. ſiue præſcriptione libertatem adepti, vt per Caſtald. de Imperatore quæſt. 54. n. 4. ſiue ex natura rei, quia in mari ædificauerint. Iaſ. in l. ex hoc iure. col. 4. ff. de iuſtit. & iur. mox ſuæ originis initio, poſtquam paruas illas inſulas, quæ Aluearia dicebantur, & in quibus piſcatores manebant, ob metum Attilæ inhabitare cæpiſſent, Gradenſem Patriarchã in ſpiritualibus agnouerunt; adeò vt Patriarcha, dum in quaſi poſſeſsione vniuerſali, iurium Eccleſiæ in vniuerſa ſua Patriarchali prouincia, & ſic etiam in illis inſulis, ſeu Aluearijs quoad Venetos quoque perſeueraret, etiã ſpiritualis iuris, Eccleſias ſcilicet ædificandi poſſeſſionem continuare diceretur, iuxta not. per Bart. in l. 1. §. hoc interdicto. ff. de itin. act. priu. vbi notatur intitulatum ab habente poteſtatem, dum exercet aliquos actus iuriſdictionis vniuerſalis cenſeri retinere quaſi poſſeſſionem in omnibus ijs etiam, quæ tunc actu non exercet.

Quartò opponitur, ſi non liceret Principi laico prohibere in fundo laicali ædificari Eccleſiam, non liceret etiam vetare, ne ad Eccleſiam fabricandam ſpecie aliqua lignorum rei nauticæ neceſſariorum, vel plumbo, quo in vſum rei militaris opus eſſet, vti liceret, quod valde abſurdum eſſe (inquiunt) inde colligitur, quod ſi omnem materiam adhibere poſſet Eccleſia tam pro fabrica, quam pro ſacra ſupellectili, materia ipſa omnis tam lignorum, quam metallorum, atque aliarum quarumcumque rerum ad Eccleſiam pertineret. Præceptum autem cultus diuini cum ſit affirmatiuum, nec omnes materias, nec omnia loca, nec omnia tempora comprehendit, eiq́. ſatisfit, quoties neceſſaria illi ſuppeditantur, & reliqua humanis vſibus relinquuntur.

Ad

Ad primam huius oppoſitionis partem reſpondetur hanc obiectionem petere principium. Nam etſi Epiſcopi locorum, pro eorum prudentia, & probitate ſpecie ligni, & metalli, aliaùe materia, qua in vſum publicũ egeat valde laica poteſtas, nequaquam vſuri ſint, cum alia ratione, alijsve materijs Eccleſiarũ fabricis & ornamẽtis proſpectum eſſe poterit. Id tamen prohibere non pertinet ad Principem laicum eiſdem rationibus, quibus interdicere non poteſt, ne in fundo laicali extruatur Eccleſia. Verum tametſi tales prohibitiones poſſent ſuſtineri, vt aliqui exiſtimant, ea eſſet ratio, quod modicum ex his prohibitionibus præiudicium infertur Eccleſiæ, vt poſt Cardin. ſcripſit Dec. in d. cap. eccleſiæ S. Mariæ n. 55. & Felin. n. 111. inferens valere ſtatutum prohibens ne nonnulla bona in confinio territorij poſita, ad vitandam confinium confuſionem, alienentur in non ſubeuntes onera, vel ne arma alienentur in non ſubditum, vel quid ſimile. Quæ ratio non vendicat ſibi locum in caſu noſtro, in quo lex non ſolum Eccleſijs præiudicat, ſed etiam eas, quod magis eſt, naſci atque ædificari in vniuerſum prohibet, & propterea à validitate illarum legum ad validitatem eius, in qua verſamur, non rectè deſumitur argumentum; præſertim cum hæc lex arctet præcipiat, pœnam imponat, & de fabrica Eccleſiæ, ac de perſonis Eccleſiaſticis expreſsè loquatur. Quo caſu nedum non valet lex in modico lædens Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, ſed nec illis fauorabilis, & priuilegium afferens ex poteſtatis defectu, niſi ab Eccleſiaſticis fuerit recepta, ideſt confirmata per Papam. Mattheſil. not. 112. Abb. in d. cap. eccleſia S. Mariæ n. 25. vbi Barbat. n. 2. Dec. n. 24. Socin. conſ. 56. n. 1. vol. 1. Nauar. conſ. 4. n. 5. verſ. 3. lib. 1. Surdus latiſsimè conſ. 2. n. 15. Ex eo autem, quod non valeat prohibitio vtendi plumbo, vel alia materia pro fabrica, vol ornamento Eccleſiæ, inferri quidem poſſet, Eccleſiam eſſe capacem acquiſitionis cuiuſcunque materię, non autem; quod omnis materia ſit Eccleſiæ, vel ad ipsã pertineat, quẽadmodum infertur ab his, qui legem defendunt, qui vt Ec-

cleſiæ conflent inuidiam, ex pręmiſſis de potentia emendi, & acquirendi loquentibus, ex quibus concluſio non inuidioſa, ſcilicet, Eccleſiam omnis commercij eſſe capacem, colligi potuiſſet; terminis mutatis, de actu, id eſt, de acquiſitione, & dominio colligunt concluſionem, nempe hoc pacto rerum omnium dominium, pertinere ad Eccleſiam. Præceptum autem affirmatiuum Deo honorem exhibendi, ſemper, non autem ad ſemper, obligare fatemur. Sed dum Principi laico facultatem ſimilia prohibendi negatur competere, non id agitur, vt hoc præceptum obliget ad ſemper, vtq́. actu illud impleatur in omni materia, & in quacunque re, ſed vt liberum ſit illi ſatisfacere ſemper, & in quaqunque re, ac in quaqunque materia.

Quintò, allegantur quatuor leges à Iuſtiniano in Digeſtũ translatæ, quibus caueri, dicitur, ne res aliqua dedicari poſſit abſq́. Principis licẽtia, videlicet l. ſacra. §. 1. ff. de rer. diuiſ. l. ſi plures ſint, & l. 2. ff. de relig. & ſumpt. funer. l. vlt. ff. vt in poſſ. legat. Additurq́. in hac materia plurimum ſemper Imperatoribus delatum fuiſſe, vt patet ex nouella Iuſtiniani 67. atq́. ex hiſtoria Eccleſiaſtica. Reſpondetur ex ſupradictis quatuor legibus duas nempe l. 2. ff. de relig. & ſumpt. fun. & l. ſi plures eod. tit. nihil ad rem pertinere, cum eis non caueatur locum non poſſe dedicari abſq́. Principis licentia, ſed tantum cadauer mortui, in alienum locum inferri non poſſe abſque conſenſu domini. Lege autem vlt. ff. vt in poſſ. legat. ſtatuitur, vt legatarius mitti non debeat in poſſeſſionem domus ſibi legatæ, ſi ea eſſet religioſa, vel Imperatoris permiſſu conſecrata, ibiq́. gl. addit, Pontificem poſſe locum conſecrare, abſq́. licẽtia Imperatoris, niſi eſſet locus publicus. Cũ qua gl. opinione congruit alia lex ſuperius allegata, ideſt lex ſacra. §. pen. ff. de rer. diuiſ. qua habetur, locum publicum ſacrũ fieri poſſe, cum Princeps eum dedicauit, vel dedicandi dedit poteſtatẽ. Hoc autem non officit concluſioni ſuperius poſitæ. Primò, quia gl. in verb. dedicauit, dicit, hoc ideò ſtatutum eſſe, quia Principes olim erant ſacerdotes, & ideò Regem Dauid ſa-

cerdotem etiam appellatum. Sed addendum eſt, inter Gentiles antiquitus Conſulem ſolum, vel Imperatorem templa dicaſſe. Alex. ab Alex. dier. genial. lib. 3. cap. 16. Secũdò, quia gl. in d. l. ſacra, exponit, dedicauit, ideſt, voluit à Pontificibus dedicari, quod etiam tradidit gl. in §. ſacræ Inſtit. de rer. diuiſ. quo textu habetur, res ſacras eſſe, quæ ritè per Pontifices Deo dedicatæ ſunt. Tertiò, quia lex ſacra, loquitur tantum de locis publicis, quæ cum Imperatoris ſint, ſpeciali ratione ſine eius conſenſu non ſunt conſecrandæ, vt ſentit, etiam gl. in d. l. fin. vt in poſſ. legat. & ſic ea lex non ſtatuit, rem nullam poſſe abſque Principis conſenſu conſecrari, vt ex aduerſo affirmatur, ſed tantum, ne locus publicus abſque eius permiſſu conſecretur. Quartò, etiamſi leges ciuiles id ſtatuiſſent, quod tamen non ſtatuerunt, cum in materia ſpirituali verſemur, nullius roboris eſſent, tanquã conditæ à non habente poteſtatem. hæc eſt certa & firma omnium cõcluſio in d. cap. eccleſia S. Mariæ, vbi Abb. n. 10. Dec. n. 34. Felin. n. 56. quod ſi aliter diceremus, ſexcentæ ſequerentur abſurditates, cum in Corpore Digeſtorum plurima caueantur in rebus ad religionem ſpectantibus toto tit. de ſecund. nupt. de diuort. vt puta de matrimonio inter tutorem, & pupillam; ac inter Rectorem Prouinciæ, & mulierem ſibi ſubditam prohibito; nec non inter raptorem, & raptam; & alia infinita ſimilia, quæ nullo pacto valent, nec ſeruanda ſunt, vt latiſſimè tradunt omnes in d. cap. eccleſia S. Mariæ. Abb. n. 15. Felin. n. 62. Dec. n. 34. & 35. Nouella autem Iuſtiniani tantum abeſt, vt probet ea in re plurimum tributum fuiſſe Imperatori, vt ex ea contrarium colligatur, cum ibi ſtatuatur, ne Eccleſia ædificetur abſque cõſenſu, & deſignatione Epiſcopi. & tamen ipſa quoque conſtitutio etiam Eccleſiæ fauorabilis, dum præcipit, nullius eſt momenti, nec eſſet obſeruanda, niſi idem ſtatueretur Cõcilio Aurelianenſi relato in d. cap. nemo de conſecr. diſt. 1. & propterea non eſt ſeruanda tanquam ius ciuile, ſed tanquam ius Canonicũ propter approbationem ſequutam, Fortun. Garz. in tract. de vlt. fin. iur. in 14. illat. n. 162. & 165.

Didac.

Didac.de ſponſ.part.2.cap.6.in princ.n.20.Vaſq.de ſucceſſ. creat.lib.1.§.15.n.161.& DD.in d.cap.eccleſia S.Mariç,vbi etiam confirmatur,quod nullum eſt,res confirmata ſumit robur à confirmante l.legata inutiliter.ff.de adim. leg.gl.in §. fin.Inſt. de tutel. Bart.in l.more. n. 5.ff. de iuriſd. omn. iud. Crotus conſ.97.n.12.Pariſ.conſ.3.n.40.vol.4. Imò quamuis lex ciuilis inſeratur in ius Canonicum, ex eo tamen non dicitur approbata,neque Canonizata, Io.And.in cap 2.de reſcrip.vbi Abb.n.9.Felin.n.54.vbi ait omnes DD.ita sẽtire.

Sextò, affertur cauſa,ob quam ita ſtatuere oportuerit,ne videlicet Eccleſiæ ædificentur in alieno ſolo abſque domini conſenſu, atque vt talis locus deligatur, in quo Eccleſiam ædificare non officiat publicæ ſecuritati, quod euenire ſolet, cum prope arces,& fortalitia, vel tali in loco extruuntur Eccleſiæ,vt hoſtibus fines inuadentibus receptaculum, vel alia ratione Reip.detrimẽto eſſe poſſint. ac propterea Principem laicum ſibi reſeruare ius licentiæ concedendæ,vt re explorata ipſam licentiam abſque priuati detrimento, ac Reip.periculo cõcedere poſſit.Huic rationi reſpondetur, rarò vel nunquam auditum eſſe,eos qui pietatis cauſa ad ædificãdam Eccleſiam animum applicant, inuito ſoli domino, & ſic cum aliena id iniuria moliri. Locum verò eligere periculo vacuum, Reip. minimè noxium, nullius magis intereſt, quam Eccleſię, & ędificantium, ne Eccleſiam demoliri, & ipſos pio, quo mouentur, fine Dei cultum amplificandi hac ratione fraudari contingat,ſemperq́. in hac re voluntatis tum populorum, tum verò maximè Principis ſecularis rationem habere Eccleſiaſticos ſolere, neminem fugit. Quod ſi alibi ita ſeruatur, multò magis certum erat,ſeruatum iri in Veneto Dominio, in quo Epiſcopi ferè omnes ex Sedis Apoſtolicæ benignitate ciues Veneti ſunt, & Reip. eorum patrię addictiſſimi, adeò vt magis timendum eſſet Sedi Apoſtolicæ, ne Principi laico nimium indulgerent, quam Reip. verendum,ne iuſta petenti quicquam concedere recuſarent. Patet ergo,nihil cauſę fuiſſe cur ita Veneti ſtatuerent,cum per

ſupe-

ſuperiores Eccleſiaſticos, quorum licentia ad Eccleſiam ædificandam ex præſcripto ſacrorum Canonum eſt neceſſaria, abundè his omnibus, quę proponuntur, incommodis proſpectum eſſe poſſit. Imò etiam, quod vix vnquam euenire poteſt, ſi Epiſcopi Reip. honeſta petenti non ſatisfeciſſent, promptum fuiſſet remedium, vel Nuntium Sedis Apoſtolicæ Venetijs commorantem, vel Sedem ipſam Apoſtolicam adeundi. Verum quatenus etiam cauſa ſubeſſet, nec ſuperiores Eccleſiaſtici remedium incommodis rarò contingentibus afferrent, non propterea ſequitur Remp. de hac re legem condere potuiſſe; quia (vt infra opportuniori loco oſtendetur) cauſa non tribuit facultatem condendæ legis, eam, in materia, de qua agitur, non habenti.

Septimò, à ſuperiori ratione, quæ mundanam Politiam reſpiciebat, tranſeunt legem defendentes ad alias rationes ſtatuendi reſpicientes regimen ſpirituale & Eccleſiaſticum. Expedit enim (inquiunt) hanc Senatus Veneti licentiam in Eccleſijs ædificandis requiri, ne in locis indecentibus ædificentur, nevè adeò creſcat earum numerus, vt veterum Eccleſiarum ſeruitium, vel eleemoſynarum conſueta quantitas minuatur. Quę ratio id efficit, vt, cum prius dubitari poſſet, legem de re ſpirituali latam eſſe à Principe laico ob ſolam cauſam temporalem, quod tamen nullo pacto licere, ſuperius oſtenſum fuit; nunc pateat, eò ventum eſſe, vt, quod longè peius eſt, laica poteſtas ſtatuerit de re ſpirituali etiam ob cauſam ſpiritualem. Ergo Eccleſiarum numerum pręfinire, quod ſeruitium in eis præſtandum competens eſt, qui prouentus neceſſarij, laicalis erit arbitrij, & poteſtatis? Ita etiam ſtatuerat olim Baſilius, ne prædium ruſticum, aut vrbanum Eccleſiæ, vel ornamenta & miniſteria Eccleſiarum quouis titulo, aut commento alienarentur. idq́. piæ mentis deuotione, ac quaſi pro Eccleſiaſticæ amore ſubſtantiæ. Et tamen hoc decretum concordi Epiſcoporum omnium ſententia ob poteſtatis defectum reuocatum fuit in Synodo Rom. 3. ſub Symmacho, vt refertur in ſępius citato cap. be-

ne

ne quidem 96. diſt. Arcam fœderis, præterquam Sacerdotibus attingere nefas erat, 2.Reg.cap.6. cum illam Oza nutantem conſpexiſſet, manum, vt fulciret, admouit, atque eius temeritas ſubita morte legitur vindicata. Acceptum quidem erat Deo ſacrificium, & grata incenſi thuris ad altare oblatio. Verumtamen Rex Ozias, quia cum eleuatum eſſet cor eius in interitum ſuũ, ingreſſus in templum Dñi adolere voluit ſuper altare Thimiamatis, percuſſus eſt lepra in fronte, eo quod ſuperbè aſpernatus erat Azariã Pontificẽ, ac cæteros Sacerdotes, his illũ vocibus abſterrentes: Non eſt tui officij, Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum. egredere de Sanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino. Quibus ex locis patet id, quod multis alijs corroborari poſſet, Principem laicum de re Eccleſiaſtica, etiam ſi Eccleſijs proſpiciat, vel vtilitatem afferat, nullam habere ſtatuendi facultatem. Qua de cauſa ſi Princeps ſtatuat in Eccleſiam præcipiendo, etiam ei priuilegium, vel fauorem tribuendo, nihil agit, niſi ab Eccleſia recipiatur, ne ex hoc arguatur aliqua ſuperioritas imperij temporalis in Eccleſiaſticum, neve ex hoc inducatur confuſio totius Monarchiæ. Panorm. poſt alios in d. cap. eccleſia S. Mariæ n.10. & in repetit. eiuſd. cap n.15. Quod ſi hanc legẽ admitteremus requirentem licentiam Principis ſecularis in conſtructione Eccleſiæ, cum licentia ſit actus iuriſdictionis, & cauſæ cognitionem requirat, Abb. in cap. vt ſuper n.17. de reb. eccl. non alien. eſſet de hac re tota, ſcilicet de ſitu, de forma, ac prouentibus, & miniſtris tum ædificandæ Eccleſiæ, tũ aliarum in Diæceſi exiſtentium proceſſus coram Principe laico inſtruendus. quo pacto is Epiſcopi & Sedis Apoſtolicæ iuriſdictionem præriperet, quorum in noua Eccleſia ædificanda tota eſt eius rei cognitio, num ſcilicet eam ædificare expediat, & reditibus competenter dotetur, iuxt. not. in cap. 1. de cenſ. & in cap. Nemo, alijſq́. locis ſupra citatis.

Octauò, lex excuſatur ea ratione, quod legislatores non tam intenderint prohibere abſque licentia ædificari Eccle-

ſias,

ſias,quam religiones nouas, nouumq. & incognitum perſonarum genus ea occaſione in Venetum Dominium introduci. quod peregrinos mores in Ciuitatem inuehere,ac tranquillo ſtatui Reip.pertubationem afferre,ac periculum creare poſſet. Hac excuſatione lex prohibitæ fundationis Eccleſiæ non defenditur, ſed inualidæ prohibitioni, & Eccleſiaſticæ libertati contrariæ, alia ſimilis, aut fortè deterior additur prohibitio. Contra quam cùm vigeant omnes rationes, ac reſponſiones ſuperius explicatæ, non eſt in ea oppugnanda diutius immorandum. Illud tantum non eſt prætermittendum Tridentinum Concilium cap. 3. Seſſ. 25. de regul. iam ſanciuiſſe ne talia loca extruantur abſque licentia Epiſcopi Diœceſani, & fe.rec. Clementem VIII. die 13. Iulij 1603. ſtatuiſſe, ne noua Monaſteria, aut nouæ domus in vlla ciuitate, & loco erigi non poſſint, niſi aliorum monaſteriorum ibi exiſtentium habita ratione, commodè ſuſtentari poſſe conſtaret, Ordinarijſq. præcepit, ne licentiam noua monaſteria erigendi impertirentur, niſi vocatis, & auditis Conuentuum in ijſdem locis exiſtentium procuratoribus, & alijs, quorum interfuerit, & cauſa ſeruatis ſeruandis maturè cognita.

Nonò, nonnulla adducuntur exempla remotarum regionum, quibus, cum nec probentur, nec veriſimilia ſint, nec conſtet de approbatione, & ſcientia Sedis Apoſtolicæ, reſpondere in præſentia ſuperuacuum eſſet.

TERTIA PARS
DE INTERDICTA
BONORVM IMMOBILIVM
ALIENATIONE IN ECCLESIAS.

TERTIO loco Reſpublica Veneta anno 1333. ſtatuit, vt Eccleſijs neque donarentur, neque relinquerentur aliqua bona ſtabilia in perpetuum in Ciuitate & Ducatu Veneto, & quod ſi relinquerentur, intra certum tempus Eccleſia illa vendere deberet. Et cum hæc lex (vt aiunt) variè eſſet obſeruata, anno 1536. Reſpublica iterum ſtatuit, quod Eccleſijs aliqua bona ſtabilia relinqui non poſſent ad tempus longius quam duorum annorum, quo ſpatio durante vendi deberent, & ſi id factum non fuerit, Magiſtratus ſecularis id exequeretur. & tandem anno 1605. Reſpublica hoc decretum ad totum Dominium Venetum extendit. addiditque, vt nemo in Ciuitate Venetiarum, ac toto Dominio Veneto poſſet ſub quouis colore vendere, donare, aut alienare perſonis Eccleſiaſticis bona ſtabilia abſque Senatus licentia concedenda eodem modo, quo conceditur in alienatione bonorum publicorum, cum decreto quod aliter ſequuta alienatio nulla ſit, & bona ſtabilia Fiſco applicentur, ac Notarij pœnam incurrant.

VT articulus nullitatis huius legis facilius definiatur, obſeruandum eſt ſimiles laicorum leges aliquando conditas eſſe generatim in omnes ſubditos, vt puta, ne prædia, vel bona ſtabilia in territorio exiſtentia alienentur in non ſubditos, vel in non ſubeuntes onera. aliquando autem ſpecialiter, & expreſsè editas eſſe in Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas, ne videlicet bona ſtabilia in eas alienari poſ-

ſint. De vtraque ſtatuendi ratione, num legitima & valida ſit, & num Eccleſiaſticæ libertati aduerſetur, ſeorſum agendum eſt, quemadmodum etiam à Iuriſperitis ſeparatim hi articuli examinantur, & deciduntur.

Quo ad priorem ſtatuendi rationem, ſcilicet, cum lex Principis laici, nulla Eccleſiarum, aut Eccleſiaſticarum perſonarum habita mentione, prohibet alienationem in non ſubditos, concors eſt ferè omnium iuris Ciuilis & Canonici Interpretum determinatio, talem prohibitionem non includere Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, nonnulli tamen, ſed pauciſſimi, nec admodum graues auctores contradicunt.

Huius ſententiæ Eccleſiæ fauentis aduerſus laicam poteſtatem ſunt Oldrad. relatus à Federic. de Sen. conſ. 85. nu. 4. Calder. relatus à Cardin. conſ. 144. num. 5. Feder. de Sen. d. conſ. & num. Card. d. conſ. & num. & in Repetit. cap. perpendimus num. 13. verſ. aut ſi obſeruaretur, de ſent. excom. Io. And. Lap. Abb. in cap. fin. de immunit. eccl. in 6. & ibid. Geminian. num. 3. verſ. ſed pone. Anchar. quæſt. 1. verſ. quęro, poſt Io. Andr. Franc. num. 2. verſ. & vltra etiam, Bart. in l. filiusfamilias. §. Diui, nu. 11. de legat. 1. quem ibi ſequuntur Ang. Imol. Florian. Crot. num. 8. Alex. num. 12. Ripa num. 81. Iaſ. num. 106. qui licet multa poſtea in oppoſitum alleget, ibi tamen ait, omnes ita tranſire, & ita indubitanter eſſe tenendum. Ferdinand. Loaz. num. 157. Bolognet. num. 200. Felin. in cap. eccleſia S. Mariæ num. 113. & ibi Dec. nu. 55. Ex quibus Crot. Alex. Iaſ. & Loaz. teſtantur, hanc opinionem communi ſcribentium conſenſu eſſe receptam, & Ripa affirmat, eam ſequi communiter Legiſtas & Canoniſtas. Eandem probant Bald. in l. vt inter diuinum, num. 17. C. de ſacroſ. eccl. & in conſ. 133. lib. 3. Anton. de Butr. in cap. tua nuper il primo, num. 4. de decim. Petr. Iacob. Gallus in pract. tit. de acquiſitis ab eccleſia num. 15. verſ. nunc autem dico. Redoan. in tract. de reb. eccl. non alien. quæſt. 10. num. 6. Panorm. in cap. a nobis il primo, de ſent. excom. & in conſ. 26. incip. ipſius, in 1. parte. Cuman. conſ. 85 præſuppoſito ca-

ſu, prope fin. Iacob. à Canib. in tract. de repreſ. in 2. part. nũ. 10. Bertachin. in tract. de Epiſc. in 4. part. num. 147. vbi ait, ſe in ardua quæſtione ita conſuluiſſe, & aduerſarios contrariũ tentaſſe aduerſus omnem ſententiam DD. Chaſſan. in conſuet. Burgund. rubr. 15. §. 10. num. 50. Marian. Socin. conſil. 76. num. 3. vol. 3. Hippol. Riminald. conſ. 15. nu. 85. vbi nedum de communi opinione, vt ferè omnes alij ſupradicti, teſtatur, ſed etiam monet, ab ea nec iudicando, nec conſulendo eſſe recedendum. Fabian. de Mont. in tract. de empt. & vend. 3. part. princip. nu. 45. verſ. ſed non valeret. Clar. in §. fin. quæſt. 82. verſ. ſtatutum 5. num. 2. Iacob. Mandel. conſ. 8. incip. pro reſolutione. Plot. loquens de conſtitutione Caroli V. Imperatoris in Ducatu Mediolani conſ. 19. nu. 11. & 12. Ang. conſ. 48. incip. quidam Franciſcus col. vlt. vbi etſi aduerſus alios exiſtimet, ſtatutum generaliter de hac materia loquens porrigi etiam ad Clericos, in quos laicus transferret rem immobilem intuitu conſanguinitatis, non autem Eccleſiæ: tamen cum cæteris conſentit, ſtatutum non extendi ad Eccleſias, & ad Clericos, in quos ratione Eccleſiæ bona immobilia alienarentur. Quorum auctorum conſenſione permoti recentiores Iuriſconſulti, qui communes concluſiones collegerunt, hanc quoque inſeruerunt inter alias. Hippol. Bonacoſſa in communibus opinionibus criminalibus in verb. ſtatutum. §. ſtatutum prohibens rem immobilem. Mich. Graſ. lib. 1. comm. opin. in verb. ſtatutum q. 12.

Cui opinioni, ingenti tot auctorum cõſenſu receptæ, pauciſſimi ſunt, qui aduerſentur, vt non immerito plures ex ſupra citatis affirment, omnes ferè ita sẽtire. Nam etſi pro Rep. qui ſcripſerunt, non dubitent in oppoſitum afferre plures auctores; reuera tamen vix tres, aut quatuor contrariæ opinioni adſtipulantur, vt ſingulos ab eis citatos perpendendo, planiſſimum fiet.

Primò enim adducitur Bald. in cap. quæ in Eccleſiarum de conſtit. n. 8. & in cap. eccleſia S. Mariæ n. 6. eod. tit. Sed ille in d. cap. quæ in Eccleſiarum non loquitur de prohibita omnium

nium rerum ſtabilium alienatione in vniuerſum,ſed tantum de prædijs tributarijs,& collectarijs, prout etiam idem tradidit in cap. Clerici n.2. de iudic. vbi relato conſ. Signoroli auctoris contrariæ ſententiæ,videlicet,ſentientis, huiuſmodi ſtatutum laicorum generale afficere etiam Eccleſias,& perſonas Eccleſiaſticas,ſubdit.n.3. quod proculdubio eſt verum in prædijs tributarijs,vel affectis perpetuo onere collectarũ. In alio autem loco,id eſt,in cap.eccleſia S.Mariæ, etſi arguat pro talis ſtatuti validitate, in fine tamen ſubicijt hæc verba: de hoc ſunt variæ opiniones, quas non perſequor, alibi dixi, Quo pacto Bald. in priori loco de ea ſpecie prædiorum loquitur,quæ eſt affecta onere reali collectarum, in poſteriori verò ſententiam ſuam non aperit. Verum eſto. ſe ita ſentire profiteretur,eius auctoritas inconſtantia leuatur, cum contrarium ſcripſerit in duobus locis ſupra citatis, id eſt,in l.vt inter diuinum n.17.C.de ſacroſ. Eccleſ.& in conſ.133.lib.3. adeò vt vel pro neutra opinione, vel pro ea tantum, quæ fauet Eccleſiæ,poſſit allegari.

Secundò adducitur Archid.in cap. romana de appell.in 6.qui nedum contrariam Eccleſię opinionẽ non ſequitur,ſed ſupradictæ adhæret,vt videre eſt ibi n.14.in fine.vbi ſtatutũ laicorum adſtringens Eccleſias ad alienãdum intra annum bona ſibi relicta, nullum pronunciat.

Tertiò,affertur Panorm.in conſ.63.lib. 1.qui non loquitur de quæſtione noſtra, ſed de alia longè diuerſa, videlicet, an conſtitutio laicalis ſtatuens bona ſtabilia matris cedere debere filijs,ita vt de mobilibus tantum poſſit teſtari,& ſic augens legitimam filiorum debeat obſeruari, etiam cum dicta immobilia,vel eorum pars in piam cauſam fuerint relicta. In qua quæſtione etſi Panorm.concludat, piam cauſam etiã ab his bonis ſibi legatis excludi vigore dictæ conſtitutionis, nihil tamen præiudicat cõmuni opinioni ſuperius poſitæ, ſiquidem eo caſu cũ portio legitimæ ſit de iure poſitiuo,quãuis de iure naturæ legitima debeatur,potuit laicali conſtitutione tam augeri,quam minui; ac propterea Eccleſia non

habet

habet quod conqueratur, ſi legatum conſequi non poteſt ex bonis, quæ ratione legitimæ filijs debentur ea quãtitate, quæ præſcripta eſt, & præſcribi potuit lege municipali. At in caſu noſtro Eccleſia exuitur rerum immobiliũ commercio, quod efficere non poſſunt laici ſtatuentes: ac propterea nõ mirum, ſi Cardin. in d. cap. perpendimus, ſentiens, ſtatutum prohibens alienationem ſtabilium non afficere Eccleſiam, ſentit tamen, ex legato relicto à patre familias non poſſe Eccleſiam quicquam conſequi, niſi prius legitima filijs exſoluta vſque ad totam portionem auctam lege municipali. Quod ſi hæ opiniones inter ſe pugnarent, Cardin. non poſſet vni ſubſcribere, quin alteram improbaret, quod tamen non facit, cum vtramque defendat, ſicut & plerique DD. ſupra citati, & ipſemet Panor. qui in conſ. 26. lib. 1. in ſpecie huius ſtatuti prohibentis alienationem reſpondit, non includere Eccleſias, nec perſonas Eccleſiaſticas, quod & tradidit in d. cap. à nobis il 1. ſupra commemorato. Quin etiam ipſe Panorm. d. conſ. 63. manifeſtè inſinuat, has duas opiniones ſimul poſſe coniungi, nec alteram alteri repugnare, dum in princip. n. 3. inter rationes dubitandi adducit doctrinam Io. Andr. in cap. fin. de immun. Eccl. in 6. opinantis, ſtatutum prohibens alienationem non officere Eccleſiæ, & in fin. argumenta in princ. poſita diluens, doctrinam Io. Andr. non impugnat, ſed veram eſſe innuens, ait, non obſtare caſui ſuo, vt habetur ibid. n. 7. verſ. & primo ad primum. Patet itaque, Panorm. rectè ſuperius pro Eccleſia adductum eſſe, fruſtra autem adduci pro Repub.

Quartò, allegatur Alex. conſ. 93. n. 3. vol. 2. qui & ipſe eo loci agit de quæſtione diſſimillima, & nihil commune habẽte cum hac noſtra. Nam facti ſpecies, in qua conſultus reſpondit Alex. ea fuit, An ſtatutũ vetans inueſtituram rei iam alteri conceſſæ, recipi non debere, niſi citatis poſſeſſoribus, vel inueſtitis, procedat in laico recipiente inueſtituram ab Eccleſia. In qua dubitatione Alex. ſentit, ſtatutum procedere in huiuſmodi laico ab Eccleſia recipiente, ea ratione, quod laicus in contractu ciuili debet ſeruare formã facilè obſeruabilem

bilem ſibi à ſtatuto pręſcriptam, etſi contrahat cum Eccleſia, quę propterea non læditur, nec à commercio excluditur, quemadmodum etiam ſi ſtatutum laicorum interdiceret Magnatibus, ne ceſſionem recipiant, ipſi non poſſent etiam talem ceſſionem ab Eccleſia recipere, vt reſpondit Federic. de Sen. conſ. 85. incip. ſtatuto Ciuitatis, cui inhęret ibidem Alexand. Hæ autem quęſtiones longè diuerſæ ſunt ab hac noſtra, ac propterea Cardin. in loco ſupra citato in repet. d. cap. perpendimus, qui rem hanc totam diuerſis diſtinctionibus complectitur, etſi ſentiat, vt ſæpius dictum eſt, ſtatutum prohibens alienationem non pertinere ad Eccleſiam, ſentit tamen ceſſionem laicali ſtatuto Magnatibus prohibitã, nec ab Eccleſia eſſe recipiendam, adeò vt veritas vnius aſſertionis nequaquam pugnet cum veritate alterius. Idq. perſpicuè adnotauit Alex. d. conſ. num. 3. his verbis: in hoc non facio vim, quia dato, quod vera ſit opinio illorum, quod ſtatutum diſponens, quod res immobiles non poſſint alienari in non ſubiectos, non intelligitur de alienatione, quę fieret in Eccleſiam, tamen hoc non obſtat caſui noſtro. Ex quo patet, opinionem Alex. in d. conſ. compatibilem eſſe cum noſtra tot, & tantis auctoribus probata, inter quos ſupra relatus fuit idem Alex. in d. §. Diui.

Quintò, allegatur conſilium Barbatiæ 14. vol. 2. quo reſpondit ſtatutum laicorum fęminas excludens à ſucceſſione maſculis extantibus, ſibi locum vendicare etiam in bonis emphyteoticis Eccleſiaſticis. Quæ Barbatiæ opinio nullo modo opponitur ſupradictę opinioni, Eccleſiam non comprehendi ſtatuto alienationem prohibente. Nam in caſu dicti conſilij ſtatuentes potuerunt immutare ius commune circa ſuccedendi rationem inter laicos etiam quo ad vtile dominium, quod eſt quid laicale, cum Eccleſiæ non interſit, quomodo inter ſe laici ſuccedant. At ſecus eſt, cum intereſt Eccleſię, & ideò de bonis emphyteoticis Eccleſiaſticis etiã de vtili dominio nihil laicus ſtatuere poteſt, cum Eccleſiæ pręiudicium infertur, vt ſuperius circa primo loco relatam

Reip.

Reip. legem probatum fuit, & pleniſsimè apud Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gl. 13. num. 8. Barbatia tamen in alio loco contra Eccleſiam, in quæſtione noſtra reſpondet, de quo inferius agetur, cum expendentur auctores congeſti à Tiraq. ex aduerſo citato.

Sextò, citatum fuit Croti conſilium 47. quod ſilentio prętermittendum fuiſſet, cum ipſe eo conſilio aliam examinet quæſtionem, An ſolennitas inducta à ſtatuto laicorum in contractibus minorum obſeruanda ſit, cum ipſi contrahunt cum Eccleſia, in qua reſpondit eſſe obſeruandam. Quę opinio tamquam diuerſa à materia noſtra, & alias habens rationes etiam ab his recipitur, qui in articulo noſtro pro Eccleſia ſentiunt, vt habetur apud Cardin. in d. cap. perpēdimus, Dec. Felin. & alios ſupra relatos. & quamuis Crot. ibid. cōſ. 47. recenſeat opinionem Signoroli, cum tamen perfunctoriè, & re non examinata de hac quæſtione loquatur, citari non debuit, nec citatus quicquam habet momenti ad cauſæ deciſionem. Alciat. de præſumpt. reg. 1. præſumpt. 51. num. 56.

Septimò, Tiraq. locus allegatur in tract. de vtroque retract. tit. de retract. lignag. §. 1. gl. 13. num. 5. Is quoque obiter alij quæſtioni intentus, hunc attingit articulum, in quo tamen, quid ipſe ſentiat, nec patefacit, nec indicat, & alibi pro Eccleſia in eod. articulo plurimos congeſſit auctores, videlicet ad leges connubiales gl. 8. ſuper verbo [de ſon mary] num. 172. adeò vt vel neutri opinioni, vel potius huic noſtræ adſcribendus videatur. Et cum auctores, quos pro Eccleſia in d. gl. 8. cumulauit, omnes verè pro ea ſentiant, hi tamen, quos diuerſum docere ſcribit in d. gl. 13. omnes perperam citantur; vt exiſtimare oporteat, ipſum iuuenum opera in auctoribus colligendis vti ſolitum, vel eis haud fideliter referentibus fidem inconſultò adhibuiſſe, vel auctoribus perpendendis, mole operis diſtractum, plurimum hallucinatum eſſe. Nam Iacob. Butrig. in Auth. Caſſa. C. de ſacroſ. Eccl. & in l. qui aſſiduis. C. qui potior. in pig. hab. qui

etiam

etiam in hac quæſtione allegatur à Iaſ. in d. §. Diui, num. 78. ne verbum quidem habet de tali quæſtione, ſed tantum de alia, videlicet, an ſtatutum valeat, quod idem ius reddatur Clerico in foro laicali, quod redditur laico in foro Eccleſiaſtico, quæ quæſtio tam ex ſui forma, quam ex ratione prorſus differt à noſtra, vt ſatis patet, ac propterea Decius, qui legem de qua loquimur, exiſtimat non valere, in illo tamen articulo ſequitur Butrig. in d. cap. eccleſia S. Mariæ num. 47. Bald. quid ſentiat, & quanti faciendus ſit in hac quæſtione ſupra deductum fuit. Sed quia in duobus alijs locis citatur à Tiraq. videlicet in l. 1. C. de ſacroſ. Eccl. & in conſ. 147. lib. 5. obſeruandum eſt eum in d. l. 1. etſi de hac noſtra quæſtione, non loquatur, potius tamen videri ſentire pro Eccleſia, quã contra, dum ait, ſtatutum laicorum permittens patri, vt filiũ ſpurium inſtituat, validum non eſſe ex defectu poteſtatis, quamuis de re laicali in laicos ſtatuatur, quia agitur de materia peccati. In conſ. quoque 174. Bald. agit de alia quæſtione, videlicet, de ſolennitate obſeruanda ab alienante, vt conſulat hæredibus ſuccedentibus ab inteſtato, in quo ſentit ſtatutum eſſe validum, & Eccleſiam comprehendere. Hanc autem quæſtionem diuerſam eſſe à noſtra, iam ſuperius ſatis oſtenſum fuit. Salic. autem tam in l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ. quam in d. Auth. Caſſa, nunquam meminit huius quæſtionis, quod tamen animaduertit Tiraq. dicens, ita ipſum à nõnullis citari, ſed ſe in lecturis Saliceti id nõ reperiſſe. Quo fit, vt ſuſpicer auctores citatos à Tiraq. fuiſſe deſumptos à conſilio Barbatiæ inferius citando, qui & ipſe Salic. & Butrig. haud fideliter retulit. Iaſ. autem in l. filiusfam. §. Diui, etſi multa argumenta, diſputando, in medium attulerit aduerſus Eccleſiam, iam tamen teſtatus erat, hanc eſſe communem opinionem, quod refert Tiraq. ſed addiderat, ab ea nec conſulendo, nec iudicando eſſe diſcedendum, quod Tiraq. prætermittit. Dec. præterea à Tiraq. contra Eccleſiam citatus in conſ. 174. incip. Placet mihi, col. 3. verſ. ſexto, vt ſupra dictum eſt, pro Eccleſia citari debuiſſet, cum præmiſſa propoſitione, non valere ſtatutum laicorum diſponens de re-

bus Eccleſiæ etiam in eius fauorem, & ſtatutum generaliter loquens non debere trahi ad hunc caſum, qui non eſt iuriſdictionis ſtatuẽtium, ſtatim ſubdit: Ad hoc bene facit, quod tradit Cardin. in repet. cap. perpendimus, de ſent. excommun. vbi, inquit, ſtatutum prohibens alienationem bonorum immobilium ſine licentia communitatis, vel habentium ius Communitatis, non intelligitur habere locum in Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis perſonis. Quapropter Dec. apertè Cardin. ſententiæ ſubſcribens debuit pro Eccleſia, non contra eam allegari, quod facit Tiraq. Ipſe autem Cardinalis in d. cap. perpendimus, ſuperius cum alijs pro Eccleſia ſentientibus allegatus perperam inter auctores contrariæ ſententiæ reponitur à Tiraq. præterquam in eo, quod verè teſtatur Cardinalis Franciſcum de Albergotis contra Eccleſiam in hac quæſtione conſuluiſſe. Barbatia demum à Tiraq. alijs adiungitur, qui in conſ. 30. lib. 4. aduerſus Eccleſiam reſpondit, ſed in conſilio 46. nu. 9. lib. 3. teſtatur pro Eccleſia ferè omnes ſentire, & in conſ. 67. vol. 4. col. 2. loquens de alia quæſtione, An valeat donatio laici facta Clerico abſque ſolennitate ſtatuti, quantum ad hanc materiam pertinet, inſiſtere videtur veſtigijs. Card. in d. repet. cap. perpendimus, cum eius diſtinctiones, quas in hac materia ſcriptas reliquit, ad verbum referat. Card. autem, vt ſupra dictum fuit, in quæſtione noſtra ius Eccleſiæ tuetur, atque ita Barbatia variè de hoc articulo loquutus, aut nullius, aut valdè leuis eſſe debet auctoritatis.

Octauò. pro Republica citatur Rhenatus Choppinus, qui in tractatu de Domanio Franciæ tit. 13. nu. 5. ſcribit ius Regium eſſe, cum res prædiariæ aliquo pacto in Eccleſias transferuntur, interponere contractui auctoritatem. Alterum enim Eccleſiæ onus incumbere, vel acquiſita in priuatorum manus deferendi, vel ſi Princeps maluerit, indemnem eum ſeruandi ab amiſſionibus aduentitiorum feudi commodorũ, quibus ob talem translationem priuatur nummaria aliqua mortuæ manus penſatione. Cuius rei teſtes Francicos legum interpp. adducit. Reſpondetur, hanc Regni Franciæ

con-

conſuetudinem valdè incertam eſſe, & quamuis in Gallia de facto retineretur, non propterea ſequi, ant licitam eſſe, aut alibi eam introducendam, ac ſeruandam; cum ètiam Galli Doctores illam damnauerint; præſertim Petr. Iacob. in pract. tit. de acquiſit. ab Eccleſ. verſ. quidam verò, & Alex. IV. aduerſus eam Conſtitutionem ediderit, quæ habetur in cap. 1. de immunit. Eccleſ. in 6. Verùm etiã ſi huiuſmodi conſuetudo valida eſſet, quæ tamen, & à grauibus auctoribus optimis rationibus oppugnata, & Pontificia auctoritate (vt diximus) prorſus exterminata eſt, adhuc tamen reſpondetur, rationes quãuis inanes, quibus eã aliqui Galli ſcriptores tutari conati ſunt, ſatis oſtendere, ab ea cõſuetudine nullo pacto ad præſentẽ quæſtionem argui poſſe. Nam Henric. in cap. ex literis n. 5. de conſuetud. teſtans Eccleſiã conſueuiſſe in Regno Franciæ bona immobilia acquiſita ponere extra manum, loquitur de feudalibus emphyteoticis, & cenſualibus, dicens, etſi Eccleſia ſit capax rerum omnium acquirendarum. l. 1. C. de ſacr. Eccl. id tamen intelligitur de rebus, quarum plenaſ, & libera diſpoſitio ſpectat ad concedentem, ſeu transferentem, ſecus autem in prædictis feudalibus, cenſualibus, & emphyteoticis, quæ ſi ſine licentia Domini in Eccleſiam transferrentur, perpetuò, & incommutabiliter, ipſe ius ſuum perpetuò amitteret, cum talis res ad eum amplius redire non poſſet. Idem ſcribit Gugliel. Benedict. in repetit. cap. Raynutius in verb. vxorem nomine Adelaſiam deciſ. 5. nu. 4. qui conatus defendere eandem conſuetudinem in bonis feudalibus, & emphyteoticis habentibus ab origine ex forma primæ conceſſionis, & inueſtituræ inuariabilem præſtationem, ſubdit, ſecus eſſe in alijs quibuſuis bonis, in quibus Princeps non habet niſi ius protectionis, & ſupremæ iuriſdictionis, ac propterea in illis ſeruari in Francia d. l. 1. C. de ſacr. Eccleſ. vt Eccleſia per translationem laicorum in vltima voluntate illa acquirat, & acquirere poſſit. Conſtát igitur, nec ſatis liquere de hac conſuetudine, nec ſi liqueat, validam eſſe; imò Pontificia Conſtitutione eſſe ſublatam, & quamuis de ea

conſtaret, ac legitima eſſet (quod nullo pacto concedimus) nihil pertinere ad articulum præſentis quęſtionis, in qua cum de omnibus rebus ſtabilibus indiſtinctè agatur, ceſſant rationes excogitatæ ab his, qui dictam Franciæ conſuetudinem, quamuis perperam excuſare tentarunt. Conſtat igitur, nec Rhenati, nec Guglielmi, nec Henrici, nec aliorum ab eodem Rhenato citatorum opinionem, ac teſtimonium ad articulum præſentis quæſtionis quicquam pertinere, & ſi quid pertinet, confirmare potius, quàm concutere opinionem cōmunem ſuprapoſitam.

Nonò, adducitur Signorol. de Homod. in conſ. 21. incip. ſtatuto Ciuitatis Mediolani, qui certè prolixa diſputatione concludit, tali ſtatuto alienationem prohibenti Eccleſiā, & Eccleſiaſticas perſonas eſſe comprehenſas.

Decimò, citatur Andr. Gail. lib. obſeruat. 2. obſeruat. 32. qui inconſultò, & articulo non diſcuſſo, ſentit, talia ſtatuta Germaniæ eſſe valida, abſque eo quod aliquid reſpondeat Cōſtitutioni Caroli 4. & Concilij Conſtantienſis, qui illa improbarunt, & nulla declararunt, vt infra dicetur.

Vndecimò, citatur in reſponſo Marci Ant. Peregrini. Alberic. de Roſat. in 2. par. q. 2. in fin. Is pro Eccleſia non contra eam meritò debuit allegari. Nec enim nudauit mentē ſuam, quid hac in re ſentiret, vt in fin. n. 72. ibi trepidus eligere nō audeo, ſed tamen duo ex eius ſcriptis colliguntur, quæ noſtrā opinionem adiuuant. Alterum, quòd rationes Signoroli non ſatis firmas arbritatur, cum illis omnibus ſigillatim reſpondeat. Alterum, quòd teſtatur, ſe adhibitum eſſe pro Archiepiſcopo Mediolanēſe in illa quęſtione aduerſus Signorolum, & veriſimile eſt, Archiepiſcopum eum adhibiturum non fuiſſe, niſi ei placuiſſet opinio pro Eccleſia. Hæc quò ad opinionem ipſius Alberic. Cæterum ibidem in fine habetur etiam teſtimonium huic opinioni proficuum. teſtatur enim maiorem Collegij partem ita videri ſenſiſſe, vt ſtatutum quidem comprehenderet perſonas Eccleſiaſticas, ſed eas non ligaret, hoc eſt, ſtatuentes voluiſſe includere ipſas, ſed nullum

eſſe

eſſe ex defectu poteſtatis.

Ex his conſtat, quo ad legem laicorum generaliter prohibentem alienationẽ omnes ferè auctores in ea eſſe ſententia, vt Eccleſia,& Eccleſiaſticę perſonæ non cõprehendantur,cũ oppoſitum ſentiant duntaxat Franc.de Albergotis,cuius tamen ſcripta non extant,relatus à Cardin.in d.repet.cap. perpendimus,Signorol.d.conſ. 21.Barbatia d.conſ.30.lib.4.qui tamen vacillat,cum alijs in locis non idẽ ſentiat, vt ſupra eſt oſtenſum,& Gail.ſup.citatus,qui tamen nõ eſt primarię notæ Iuriſconſultus,remq́. leuiter attingit,& quam diligens fuerit veritatis inueſtigator, ex eo liquet, quòd numerat etiã inter alia ſtatuta hac de re confecta,ea, quę olim condiderant Veneti,quę tamẽ deliteſcebant,& minimè obſeruabantur,vt infra dicetur. Quatuor igitur auctores,nec admodũ præſtantes, Franc.de Albergotis,Signorol.Barbatia,& Gail.quorũ etiam duo, vel nullius, vel leuiſſimæ in hac re ſunt auctoritatis, cum prioris,ideſt Franc. de Alberg.ſcripta non habeantur,& vnus,nempè Barbatia,in hac opinione ſibi non cõſtet, præferentur ingenti numero præclariſſimorum,& celeberrimorum auctorum, qui ad quadraginta ſupra collecti ſunt, cum tamen in tota Europa,ac in Italia præcipuè,communem Iuriſconſultorum conſenſum,pro lege ſequi omnia tribunalia cõſueuerint, ita ratione,ac æquitate ſuadente, l.1.de off.quæſt. cap.nouimus de verb.ſig. Bar.& alij in l.fi.C.de pœn.Iud.qui male iudic. Felin.in cap.1. nu.54.de conſtit.

Verum clarius etiam apparet huius legis nullitas ex eo, quod hic non verſamur in generali prohibitione alienãdi in nõ ſubditos,ſed verſamur in ſecũda ſtatuendi ratione,quę eſt ſuperius propoſita,ideſt,in ſpeciali,& ſola prohibitione alienandi in Eccleſias,& perſonas Eccleſiaſticas. De quo longè minor eſt dubitatio, quàm de lege laicorum generaliter loquente, vt animaduertit Bald. in allegato conſ. 174. lib.5. vbi etſi ſentiat, ſolennitatem requiſitam ſtatuto laicorum generaliter loquente de contractibus ſubditorum, ſeruãdam eſſe,etiam cum ipſi contrahunt cum Eccleſia; arbitratur tamen

men ſtatutum eſſe nullum, ſi in hac re de Eccleſia, & perſonis Eccleſiaſticis expreſsè loquatur, vt ibi in verſ.quia illa loquitur. Quamobrem in hac noſtra facti ſpecie non poteſt etiã allegari Frãciſcus de Albergotis, qui vt refert Card. d.cap.perpendimus, conſuluit in quæſtione facti, in qua ſtatutum auctorizabiliter, & præceptiuè prohibebat alienationem, ſed tamen directè non concernebat Eccleſias, vt ibid. per eum n.13.verſ.ſed quid ſi. Signorol. qui in ſtatuto generali ſentit contra Eccleſiam, & præcipuus auctor fuit eius opinionis, contra laicam poteſtatem apertè ſentit, & ſtatutũ aduerſari Eccleſiaſticæ libertati candidè profitetur, cum duo concurrunt. Primò, q̃ Eccleſiæ obſequia denegentur, vt cum generaliter ſtatuitur, vt ſubditus ab ipſis non emat, vel nihil ipſis vendat. Secundo, quod de perſonis Eccleſiaſticis habeatur expreſſa mentio. & licet hic non fuerit ſtatutum, vt nihil vendatur, ſed tantum ne vendantur immobilia, tamen alia multa hac lege cauentur, quæ prohibitionẽ, vt inferius oſtendemus, longè acerbiorem & iniquiorem efficiunt, quam fuerit ſtatutum Signoroli, vt propterea etiam ex ipſius opinione huiuſmodi lex cenſeri debeat nulla, & libertati Eccleſiaſticæ contraria. Primò enim in ſtatuto, de quo Signorolus reſpondit, non prohibebatur ſimpliciter alienatio, ſed tantum cum limiratione, niſi ſoluerit tantum pro libra, quod perpendit ibi Signorol.n. 25. verſ.Item ſi benè, dicens, illud ſtatutũ non prohibere ſimpliciter ſubditis alienare in Eccleſias, ſed cum quadam limitatione permittere, id eſt, ſoluta aliqua portione. In lege Reipublicæ prohibetur alienatio abſque licentia Senatus, concedenda eo modo, quo conceditur in alienatione locorum publicorum, quod idem eſt, ac ſi abſolutè alienatio prohiberetur, quia talis difficultas formæ æquiparatur impoſſibilitati, vt per Cardin. in repet.d. cap. perpendimus n.12.verſ. & per hoc deciditur, vbi loquitur de ſtatuto Patauij. Secundò, in ſtatuto Signoroli non diſponebatur de alienatione, quæ fieret pro anima, imo dicta alienatio pro anima expreſsè excipiebatur, vt refert Signorol.ibid.

n.29.

n. 29. verſ. vnum nõ omitto. In hac lege prohibetur legatum, ac inſtitutio in fauorem Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum, impoſita neceſſitate vendendi intra annum, prohibetur etiam donatio inter viuos, & ſic prohibetur pia diſpoſitio ꝑ anima, quo caſu nullus omnino ex Iuris ciuilis, aut Canonici Interpretibus contendit legem eſſe validam, ſed omnes vno ore conclamant, eſſe nullam, & libertati Eccleſiaſticę aduerſam. Ac propterea Iul. Clar. in d. quæſt. 82. verſ. ſtatutum quintò, cum prius loquens de ſtatuto generaliter prohibente alienationem, dixiſſet, omnes ferè DD. ſentire, non comprehendere Eccleſias, poſtea loquens de lege ſpecialiter prohibente alienationem in Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, affirmanſq. eam non valere, verè, & cautè omiſſa illa dictione ferè, qua vſus fuerat in priori membro, ſubdit, omnes DD. ita tenere. Et certè nemo in hac lege Reip. ab hac ſententia diſſentit, cum Signorol. prò Eccleſia ſentire videatur, vbi prohibitio dirigitur expreſsè in Eccleſiam, & aliquid aliud cum ea concurrit, vt ſupra diximus. Et diſputationes Doctorum de prohibita alienatione non reſpexerint caſum longè magis dubitabilẽ in hac lege expreſſum, cũ pro anima relinquitur, vel donatur. in quo prohibitio magis lædit Eccleſiam, & in qua laici ab eleemoſyna, quæ redemptio peccatorum eſt, & opus ſpirituale, Eccleſiaſtico, & non laico Principi ſubiectum, auertuntur. Qua de cauſa nedum ſupradicti omnes ſtatutum generale improbantes, ſed etiam alij de impoſita Eccleſiaſticis neceſſitate intra certum tempus ſibi relicta vendendi loquentes, huiuſmodi legem condemnarunt, videlicet Archid. in d. cap. ſtatutum n. 13. in verbo, conſuetudine de appellat. in 6. Hoſtien. in ſum. tit. de immunit. Eccleſ. §. ſed nec, & in cap. cum laicis n. 5. de reb. Eccl. non alienan. & multò magis alij, qui abſolutè, & ſine ullo diſcrimine, nemineq. contradicente ſcripſerunt, diſpoſitiones ad pias cauſas legi ciuili, ac laicorum iuriſdictioni non ſubiacere; adeò vt quamuis poſſit lex ciuilis præſcribere formam contractibus aliquorum, vtputa minorum, vel mulierum, vt cõſulat eorum

imbe-

imbecillitati,& hæc forma obſeruari debeat,etiam cum contractus initur cum Eccleſia, vt ſupra dictum fuit, tamen talis formæ obligatio ceſſat in diſpoſitionibus ad pias cauſas. Ita Cardin. in d.repet.cap.perpendimus, num.13. quamuis in alijs contractibus, qui ſunt fori ciuilis, admittat laicos poſſe formam illis generaliter ſtatuere, obſeruariq́. eam formam debere etiam quoad Eccleſiam, dummodo forma ſit facilè obſeruabilis: tamen quando agitur de diſpoſitione in piam cauſam,ſiue in vltima voluntate, ſiue inter viuos, quia talis contractus ſuaptè natura eſt fori Eccleſiaſtici, citra vllam dubitationem, affirmat laicam poteſtatem non poſſe nedum prohibendo, ſed etiam formam præſcribendo quicquam de tali contractu ſtatuere, vt cernere eſt apud Cardin. ibid. nu. 13.verſ.1. caſu quandoque forma. A qua concluſione tam in d.cap. eccleſia S.Mariæ, quam alibi nemo diſcrepat, nec diſcrepare poteſt, cum in relictis ad pias cauſas, quæ res ſpirituales ſunt, vel ſpiritualibus annexæ,vt dicitur in cap fin. de reb. Eccl. non alienan. obſeruari debear diſpoſitio iuris Canonici, non autem iuris ciuilis, vt expreſsè ſtatuitur in cap. relatum il primo de teſtam. ac propterea quamuis iure ciuili ſtatuta fuerit ſeptem teſtium ſolennitas à laicis obſeruanda in teſtamentis etiam nuncupatiuis condendis, auth. hoc inter liberos. §. per nuncupationem.C.de teſtam. ea tamen nequaquam debet obſeruari in teſtamento à laicis confecto, in quo pia cauſa eſt hæres inſtituta, & quoad relicta ab ijs ad pias cauſas, in quibus ex iuris Canonici præſcripto, duo teſtes ſufficiunt, vt ſancitur in d.cap relatum, quod ſeruandum eſſe tam in foro ciuili,quã Eccleſiaſtico, & tã in terris iuriſdictionis tẽporalis Eccleſię, quã in terris Imperij, & ſecularis iuriſdictionis pro indubitato tradunt Alan. Vinc. Goffred. Imol. Federic. de Sen. Bertrand. & alij plurimi relati à Tiraq. in tract. de priuil. piæ cauſ. in princ. poſt præfat. vbi poſt maximam auctorum congeriem, concludit his verbis: Non tamen mihi eſt animus,omnium omnia adducere, ſatis eſt, quantum ad hunc locum pertinet, quod omnes

in hoc

in hoc conueniunt, quod in relictis ad pias cauſas vbique ſufficiant duo teſtes, iuxta d.cap.relatum. Quod ſi in ſolennitate, in qua facilius lex ciuilis, vt ſupra dictum eſt, obligat laicos cū Eccleſia cōtrahentes, eos tamē obligare nō poteſt, cū in pias cauſas ſuas cōferūt diſpoſitiones, quāto minus obligare poteſt, vel adſtringere laicos, ne vllo modo in pias cauſas diſponant, cuius rei prohibitio longè periculoſior eſt, ac dānabilior? Quamobrem certò certius cōcludere, & affirmare licet, legem generalem laicorum alienationem prohibentem omnes ferè auctores, quoad Eccleſiam impugnare, tres tantum, aut quatuor defendere, legem autem ſpecialem de Eccleſijs loquentem eo modo, quo loquitur ſtatutum Signoroli, duos tantum, & ex his alterum ſibi non conſtantem tueri, nullum autem Iuriſconſultum, nullumq́. probatum auctorem reperiri, qui hanc legem cum qualitatibus ſupradictis vndequaque perſpectam, vtpote inſigniter libertati Eccleſiaſticæ aduerſantem, aliqua ratione defendere, aut excuſare tentauerit. Cum itaque Eccleſia ſit omnium ſcriptorum de hac re loquentium, auctoritatibus munita, Reſp. autem illis prorſus deſtituta, nihil opus eſſet, vllas rationes in medium afferre, ſed ſatis eſſet eas quærentem reijcere ad ipſoſmet ſcriptores ſupra relatos, qui articulum examinant, & cōcluſione noſtra egregiè confirmata, obſtantia argumenta non minus verè, quam diligenter refellunt. Ne tamen rationes etiam miſſas faciamus, nonnullas tantum præcipuas ſubijcere libet, ex ipſis ſcriptoribus excerptas, quæ veritatem huius concluſionis euidentiſſimè oſtendunt.

In primis hæc eſt veriſſima, & ſolidiſſima ratio. Lex adimens laicis poteſtatem vendendi Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis perſonis bona ſtabilia aufert illis priuilegium conceſſum ab Imperatore, qui in l. 1. C. de ſacroſ. Eccl. indulſit Eccleſijs, vt cuique liberum eſſet illis relinquere, & in l. fin. C. de ſacroſ. Eccl. condidit etiam quoad Eccleſias ius ſpeciale, & priuilegiatum, vt in eas tranſiret dominiū ſine traditione, quę regulariter neceſſaria eſt ad dominiū acquirendū, l. traditionibus. C. de pact. item eouſque prouexit voluntatē laicorū Eccleſijs

benefacere volētiū,vt donationes Eccleſijs factas valere decreuerit abſque inſinuatione, l.illud. C. de ſacroſ. Eccleſ. eò quod in tali donatione optima menſura ſit immēſitas. Auth. de non alienan. aut permut. reb.Eccl.§.ſinimus,collat.2. Ex quo apparet,hanc legem eſſe Eccleſiaſticæ libertati contrariam, ac propterea nullam, cum vt ſuperius initio oſtenſum fuit, leges laicorum dicantur obuiare Eccleſiaſticæ immunitati,quoties eis auferunt priuilegia conceſſa à Deo, Papa, vel Imperatore. Huic fundamento duobus modis ab aliquibus reſpondetur: Primò,diſpoſitionem d.l.1. non continere priuilegium, quia redditur ratio generalis communis, tam Eccleſiæ quam laicis,ibi,vt ſit licitum,quod amplius non redit arbitrium. Secundò,tam d.l. primam, quam omnes alias eſſe intelligendas,vt Eccleſia poſſit acquirere à nō prohibito relinquere,& ſic non violari priuilegium Eccleſiæ tali prohibitione.Idemq́.reſponderi poſſe quoad alia priuilegia circa traditionem,& inſinuationem. Sed vtraq́ reſponſio facilè ſummouetur;nam quantum pertinet ad primam,facultas cōceſſa Eccleſijs,vt acquirere poſſint,nedum continetur in d.l. 1.ſed refertur etiam in cap. futuram Eccleſiam 12.q. 1.in qua non redditur ea ratio generalis. Verum etiam ſi demus ea,lege non contineri priuilegium, ſed ius commune, iam ſupra ex communi ſententia, cui nec ſcribentes pro Repub. contradicunt,probatum fuit, legem laicalem cenſeri aduerſam libertati Eccleſiaſticæ, nedum cum aufert Eccleſiæ priuilegia,ſed etiam cum eis adimit aliquid competens de iure communi, facilius enim amittitur priuilegium,quam ius cōmune, l.eius militis.§.militia miſſus.ff.de teſtam.mil. Secunda autem reſponſio ex eo refellitur, quod ſublata prorſus omni facultate bona ſtabilia in Eccleſiam transferendi, fruſtra erit ipſam remanere capacem acquiſitionis, quod & de priuilegio circa traditionem,& inſinuationem itidem eſt dicendum. Quid enim proderit Eccleſiæ acquiri dominium ſine traditione, & donationem valere abſque inſinuatione, ſi nec licebit laicis ei bona ſtabilia donare, nec dominium

eo-

eorundem bonorũ ex vllo titulo ipſa Eccleſia acquirere poterit? quid enim differt priuilegium auferre, vel illud adeò coarctare, vt inane prorſus efficiatur?

Secundò, iſta lex perſonas Eccleſiaſticas, & Eccleſias inhabiles reddit ad emendum bona ſtabilia, efficitq́. eas peioris conditionis, quam ſint deportati, qui etſi capere non poſſint ex teſtamento, eorumq́. inſtitutio habeatur pro non ſcripta. l. 1. C. de hæred. inſtit. tamen capaces ſunt acquiſitionis ex contractibus iuris gentium, & ſic emendo poſſunt acquirere, l. ſunt quidam. ff. de pœnis. At huiuſmodi facultas efficiendi quem inhabilem, quæ iuriſdictionis eſt, non competit non habenti iuriſdictionem in eos, qui inhabiles efficiuntur, vt habetur in d. l. ſunt quidam, ergo non competit Principi laico in Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas. Huic rationi reſpondent legem defendentes, eam non reddere inhabiles Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, ſed frenum inijcere laicis, quod potuerunt laici ſtatuentes. Sed hæc reſponſio non euertit fundamentum. Primò, quia de de Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis lex directè diſponit. Secundò, quia licet Eccleſia, & Eccleſiaſticæ perſonæ non efficiantur inhabiles directè, efficiuntur tamen indirectè, cũ prohibentur laici ne vendant, ex natura correlatiuorum, iuxta text. in l. 1. C. de cupreſſ. ex luco Daph. lib. 11. At contra Eccleſiaſticam immunitatẽ æquè prohibitum eſt ſtatuere directè atque indirectè, cap. ſtatutum de hæret. in 6. & alibi ſæpè DD. & in ſpecie gl. in cap. fin. infra citando, in verb. libertatis, vbi ait, ſimilis ſtatuti conditores, licet quoad verba non videantur infringere libertatem, infringunt tamen quoad mentem faciendo fraudem de perſona ad perſonam.

Tertiò, cum lex Reip. prohibuerit etiam, ne bona ſtabilia relinquantur Eccleſijs, vel eis quoquo modo donentur, diſponit de re, & materia ſpirituali, vel ei annexa, cap. relatum il primo de teſtam. prohibet enim eleemoſynam, quę eſt opus ſpirituale, ordinatum ad peccata extinguenda: ſiquidem quod confertur pia liberalitate in Eccleſiam, cenſetur

datum pro remedio peccatorum, & requie animarum, cap. indignè 12.q.2. & d.cap.bene quidem, quod clarius etiam expreſſit Concilium Aquiſgranenſe cap. 126. vbi habetur res Eccleſiæ datas vota eſſe fidelium, & eos Chriſti amore ſuccenſos ob animarum ſuarum remedium, & cæleſtis patrię deſiderium, ſanctam Eccleſiam feciſſe locupletem. At ſtatuere de materia ſpirituali, vel ſpirituali annexa pertinere duntaxat ad Summum Pontificem, ſupra latè probatū fuit, & omnes tradunt in d.cap.eccleſia S.Mariæ, & in ſpecie in materia piorum legatorum pro anima, eſt text. in cap. relatum, vbi dicitur, cauſas legatorum piorum ſecundum Canones, & non ſecundum leges eſſe terminandas, vt ponderat Felin.in d.cap. eccl. S.Mariæ nu. 123. ergo laica poteſtas de eo ſtatuere nullo modo potuit.

Quartò, cum iam quoad aliam legem oſtenſum fuerit, non poſſe laicum Principem directè prohibere, ne abſque eius licentia ædificentur Eccleſiæ, conſequens eſt, vt nec etiam prohibere queat, ne Eccleſiaſticis perſonis, aut Eccleſijs latifundia vendantur; id enim indirectè induceret prohibitionem ædificandi, atque dotandi Eccleſias, vt animaduertit Alber.in d.quæſt.2.par.2.tract.ſtatut. nu.68.

Quintò, hic articulus iam definitus eſt Conſtitutione Bonifacij VIII. in cap.fin. de immun. Eccleſ. in 6. cui nemo ex DD. oppoſitum ſentientibus ſatis apte reſpondet, & plerique ex eis, qui noſtram ſententiam tuentur, de hac materia ibi eſſe text. expreſſum, & indiuiduo quæſtionem decidere conſtanter aſſeuerant.

Cum auctoritatibus, & rationibus ſupradictis concordat etiam vſus Sedis Apoſtolicæ, qui ex epiſtolis diuerſorum Romanorum Pontificum optimè dignoſcitur. Nam Innoc. III. litteris ad Epiſcopum Sardicenſem & Sidonienſem datis, mandauit, vt Conſtitutionem Henrici Conſtantinopolitani Imperatoris, vt nullus poſſet de ſuis poſſeſſionibus in vita, vel in morte aliquid in eleemoſynam elargiri, friuolā, & inanem, & nullo modo ſeruandam eſſe decernerent. Idem

Inno-

Innocentius Tertius quarto Nonas Decembris anno 14. ſui Pontificatus, Regi Franciæ ſcripſit, vt compeſceret ſuos officiales, qui ægris impedimento erant, ne de ſuis terris, vel hęreditatibus aliquid in Eccleſiam largirentur. Gregor. IX. ad Epiſcopum Burgenſem, & Decanum Calaguritanum litteras dedit, vt Regem Caſtellæ monerent, atque inducerent ad reuocanda quædam ſtatuta, quibus cauebatur, ne quis de cætero aliquas poſſeſſiones Eccleſiæ, monaſterijs, aut locis pijs vendere præſumeret. Alexand. Quartus aduerſus Dominos temporalis Regni Franciæ, cogentes Eccleſiam ad ponendum extra manum ſuam bona ſibi acquiſita, atque ad deducendum ex legatis pijs certam portionem, Conſtitutionem edidit, quæ habetur in cap. 1. de immun. Eccl. in 6. Clemens IV. anno 4. ſui Pontificatus ad Regem Portugalliæ litteras ſcripſit, quibus eum requirebat, vt non expectata correctionis neceſſitate, reuocaret conſuetudines, quibus interdictum erat Eccleſijs emere poſſeſſiones, etiam ſi nec eſſent Emphyteoticæ, nec feudales.

Idem clariſſimè probatur auctoritate generalis Concilij Conſtantienſis, quod in confirmatione Conſtitutionum Federici II. & Caroli IV. Imperatorum confirmat, & ab omnibus Chriſtifidelibus vbilibet in omnibus, & per omnia ſeruari mandat Conſtitutionem Caroli Quarti, qui cum accepiſſet Marchiones, Comites, & alios Dominos temporales in eorum prouincijs ſtatuta ſingularia, & iniquas ordinationes motu proprio, & de facto contra perſonas Eccleſiaſticas, & Eccleſiarum libertatem, & harum priuilegia cōdidiſſe, illisq́. de facto, & publicè vti, vtpote quod nulla bona temporalia in vim, & poteſtatem Eccleſiaſticam transferrentur, huiuſmodi ſtatuta irrita & nulla, nulliusq́. penitus momenti eſſe voluit, ac ſub indignationis pœna talium ſtatutorum conditoribus præcepit, vt ex tunc illa reuocarent, & de luce tollerent, quodq́. ſecundum ea non iudicarent amplius, nec ſententias ferrent, nec eis in iudicio, vel extra, contra Eccleſiaſticam libertatem quomodolibet vterentur.

Hæc

Hæc quoque ſtatuta à laicis erant condita in laicos, & in res temporales ſtatuentibus ſubiectas, & nihilominus Carolus, quia Eccleſijs ius ſuum adimebant, non quidem vt Eccleſijs præter ius faueret, ſed vt illarum ius ſeruaret illibatũ, ea tamquam iniqua, & Eccleſiaſticæ libertati derogantia illuſtri exemplo aboleuit, eiusq́. Conſtitutionem generale Concilium approbauit, innouauit, ac idẽ ſtatuit, vt habetur vol. Concil. 5. in Veneta impreſſione in fin. Cõcilij pag. 405.

Rationibus, quæ ſcripto aduerſus hanc opinionem adeò certam, & inconcuſſam coaceruantur, nihil opus eſſet reſpondere, ſiquidem ſufficere debet, oculatiſſimos ſcriptores, eis perpenſis, & exploſis, omnes in hanc iuiſſe ſententiam. Ne cui tamen tenebras offundere poſſint, omnibus ſigillatim reſpondere operæpretium fuerit.

In primis huius legis conditæ ea redditur ratio paſſim à contrariæ opinionis auctoribus inculcata, ſtatuentes publicã, & communem Reip. vtilitatem præ oculis habuiſſe, ne videlicet tot bona immobilia tractu temporis ad Eccleſiam, quæ illa prohibetur alienare, perueniant, vt nec onera Reip. laici ſuſtinere, nec ſuas familias & agnationes, quod Reip. intereſt, conſeruare poſſint. Huic rationi primò reſpondetur, nullum ſubeſſe horum incommodorum probabilem timorẽ. Nam ſi Eccleſiarũ omniũ Venetæ ditionis reditus huius æui cũ ijs conferantur, quos Eccleſiæ eo tẽpore obtinuerũt, quo Veneti Ciuitates & oppida, quæ in continenti ſunt, in poteſtatem redegerunt, varijs conceſſionibus, & alienationibus, ac inueſtituris imminuti potius, quam aucti comperientur. In Clero ſeculari pauci, vel nulli ſunt. qui prædia Eccleſijs comparent. Ex Religionibus multæ inſtituto regulæ ſunt bonorum immobilium incapaces. Pia legata, atque inſtitutiones nec magna ſunt, nec frequentia. adeò vt ad paucas Religiones tantus hìc acquiſitionis timor poſſit referri: quas tamen aditus Pontifex, ſi ita æquitas, & ratio poſtulaſſet, pro ſua auctoritate, & in Remp. propenſione, congrua aliqua ratione coercuiſſet, vt meritò Hoſtien. in

d.cap.

d.cap.cum laicis de reb.Eccl.non alien.nu.10. monuerit laicos,vt remedium à Sede Apoſtolica obtineant. nec ergo talis cauſa verè ſubeſt, nec,ſi ſubeſſet, negatur adhibendum eſſe remedium, ſed illud contenditur, vt ab habente poteſtatem obtineatur, nec ius ſoli Eccleſiæ competens ſibi ſumat,vel vſurpet laica poteſtas.

Secundò, reſpondetur quantum pertinet ad onera, animaduertendum,Eccleſiam acquirentem bona immobilia ad nonnulla teneri onera cum cautionibus tamen, & in caſibus, qui perſtringuntur à Doctoribus in cap. non minus, in cap. aduerſus de immunit. Eccleſ. & in cap. 1. eodem tit. in 6. adeò vt non ſit grauis, vt dicitur, moles onerum, quæ propter talem exemptionem recidit in laicos. Præterea cum neceſſitates publicæ ingruunt, ſolet ſummus Pontifex concedere Principibus laicis decimas bonorum Eccleſiaſticorũ, quod in toto orbe Chriſtiano ſumma Sedis Apoſtolicæ indulgentia, factitatum eſſe,nemo eſt,qui neſciat,& in ditione præcipuè Veneta, in qua Reſp. ſuperioribus annis magnam pecuniarum vim ab Eccleſiaſticis ex conceſſione decimarũ ſæpius prorogata,confecit. Quin etiam cum duæ ſint Reſpublicæ,iuxta diuiſionem iuriſdictionum à Deo procedentẽ, laici ferre debent onera Reip. mundanæ,Clerici verò,& perſonæ Eccleſiaſticæ onera Reip. ſpiritualis: illa ſubit onera ſibi impoſita à Principibus laicis, hæc indicta à Summo Pontifice, vt notauit Abb. in conſ.3.nu.5.lib.1. ſi ergo laici non ſubeunt onera ratione Reip. ſpiritualis impoſita Eccleſiaſticis, nihil eſt abſurdum Eccleſiaſticos non ſubire onera Reip. laicæ impoſita laicis. Hæc autem recenſet Euerard.in conſ. 30.num.22. Quorum præcipuum eſt decima Papalis. Clem. fin. de decim. quam ſuperioribus annis Summus Pontifex vniuerſo Italiæ Clero bis impoſuit,& exegit, vt conflata pecunia rem Chriſtianam iuuaret aduerſus Turcarum Tyrannum Pannoniæ imminentem. in quam expeditionem Chriſtiani nominis dignitatis tuendæ, ac Chriſtianarum prouinciarum vaſtitatis depellendæ cauſa ſuſceptam ſoli Eccleſiaſtici,

ſtici,ſolæq. Eccleſiæ in Veneta ditione contribuerunt. Quod quidem non alia ratione commemorauimus, quam vt laici ſua Eccleſiaſticis onera exprobrantes, commonefiant, multa quoque ab Eccleſiaſticis etiam ratione publicæ, imò totius orbis Chriſtiani vtilitatis onera perferri, quæ non ſubeunt ſeculares. Quid ergo abſurdi, ſi & ſeculares, iubente Principe laico, multa onera ſuſtinent, à quibus Eccleſiaſtici ſunt immunes? Tertiò reſpondetur, etiamſi cauſa grauiſſima ſubeſſet, non propterea inde ſequitur, laicam poteſtatem ſtatuere poſſe de materia ad ſe non pertinente, vel in perſonas ſibi non ſubiectas. cum enim duo ſint, quæ actus humanos integrant, & perficiunt, voluntas, & poteſtas, vt ait Bald. in l.cum te. num.1.C.de donat. ant. nupt. cauſa non tribuit ſtatuendi poteſtatem non habenti. Bald. in l.cunctos populos, num.55. verſ.iſta non valet.C.de ſum.Trinit.& Fid. Cathol. Decius, loquens de ſtatuto laicorum quoad res Eccleſiaſticas, in cap.quæ in Eccleſiarum, num.6.de conſtit.& in d.cap.eccleſia S.Mariæ num.55.eod.tit. & ibid. Butr. nu.20. Felin num.28. verſ.& dicuntur iuſtæ. Crot.in d. §.Diui, nu. 80. Fortun.Garz.de vlt.fin. num.153. in fin. verſ. nec obſtat ratio. Bero.in cap.1. num.220. de conſtit: Rebuff. in conſtit. reg.tom.1.in procem.gl 1.num.61. Vaſq. d.§.10. num.651. & 658.& ratio rationis eſt, quia ex ſententia D.Thomæ in 1.Secundæ quæſt.96.art.4.verſ. reſpondeo, leges tribus modis iuſtæ dicuntur. Primò, ex fine, quia ordinentur ad bonũ commune. Secundò, ex auctore, quando lex lata non excedit poteſtatem ferentis. Tertiò ex forma, quando onera imponunt ſubditis ſecundum æqualitatem. Quamobrem cauſa boni publici, quę requiritur ad legem condendam, ſola non ſufficit, niſi etiam conditor habeat poteſtatem, & intra eius fines ſe contineat. quod ibidem expreſsè D. Thom. animaduertit, dicens, legem eſſe iniuſtam ex auctore, cum aliquam legem fert vltra ſibi commiſſam poteſtatem, etiam ſi ordinetur ad bonum commune. Imò poteſtas ſtatuendi magis eſt neceſſaria ad legem condendam, quam cauſa boni pu-

publici, quia hæc reſpicit legis qualitatem, illa verò ſubſtantiam, ſine qua nulla qualitas conſiderari poteſt. l.ſi nullam.§. ſi abſentis. ff.de petit. hæred. Quod ſi cauſa publici boni efficere poſſet, vt lex lata obligaret Eccleſias, eas obligarent omnes leges Imperiales contentæ in vniuerſo iuris ciuilis corpore, quæ vel pleræque, vel omnes reſpiciunt publicam vtilitatem,ac bonum regimen ſtatus ciuilis, quæ tamen vbi nominatim de Clericis, & Eccleſiarum bonis diſponunt, poteſtatis defectu nullæ pronuntiantur DD. omnes in d.cap.eccleſia S.Mariæ poſt Abb.num.15. Dec. nu. 6. & 88. generaliter verò loquentes ſeruantur in Clericis, non tanquam ab Imperatoribus conditæ, ſed tanquam per Summum Pontificem approbatæ. Butr.in d.cap. eccleſia S.Mariẹ nu.17.verſ.dic ſi quærit,cum verſ. ſeq. & ante eum Hoſtien. in cap.fin.num.11. & Io.Andr.nu.4.de ſolut.Archid.in cap. lege num.8. 10.diſt. Anchar.in repet. cap. Canonum ſtatuta nu.45.de conſtit.Quod etiam dici poteſt de omnibus Prętorum edictis, quæ ferè omnia rationem habent expreſſam, quæ vtilitatem publicam ſpectat. Patet ergo,cauſam publici boni, publicæve vtilitatis eſſe quidem vnum ex legis requiſitis, ſed non ſufficere abſque poteſtate, debereq́. huiuſmodi cauſam quoties verè ſubſit inducere ad legem ferendam eum Principem, ad quem in tali materia pertinet iuriſdictio.

Secundò, arguitur à pacto; & ab vltima voluntate ad ſtatutum. Nam pacto priuatorum conueniri poteſt, ne res in Eccleſiam alienentur l.fin.C.de pact.int.empt.& vend.compoſ.l.ſi quis.§.ea lege,vbi DD.ff.de verb.oblig. & in emphyteoticis gl. & DD. in l.fin. C. de iur. emphyt. & in cap. potuit de locat. & in feudalibus cap.1. de prohibit. feud. alienat. per Frider. vbi quod nec pro anima relinqui, nec adiudicari poſſunt Eccleſijs, idem etiam caueri poteſt in vltima voluntate, valetq́. ſi caueatur l.Peto.§.frater.l.cum pater. §. libertas,de legat.2. Iaſ.in d.§.Diui num.16. At quòd poteſt

induci pacto ac teſtatoris voluntate, poteſt etiã induci Conſtitutione l. non impoſſibile, vbi not.ff.de pact.§.diſponat,in Auth. de nupt.collat.4. Quo argumento vſus eſt Bald. in d. cap. eccleſia S.Mariæ, & in d.cap. quæ in Eccleſiarum, & in d.cap.Clerici ſupra citato. Iam ſupra cum de quæſtione prohibitæ Eccleſiæ ædificationis ageretur, ſatis deductum fuit, longè inter ſe diſtare vniuerſalem Principis iuriſdictionem, à priuatorum dominio, & in hac materia ab vno ad aliud ob rationis diuerſitatem argui non poſſe, vt etiam ſentit Dec.in cap. eccleſia S.Mariæ nu.844. & ſeqq. Idq́. ſatis pro reſponſione ſufficeret. Accedit tamen quantum pertinet ad hanc quæſtionem, quod etſi valeat pactum, vt res non alienetur in Eccleſiam, tamen eo non obſtante poteſt alienari, licet venditor teneatur ad id, quod paciſcentis interfuit, rem non eſſe alienatam gl.in d.l.fin. Ieſ.in d.§.Diui, num. 30. vbi teſtatur,opinionem gl. communiter eſſe approbatam. In feudo præterea, & emphyteuſi ſpecialem ſubeſſe rationem, cur tranſire non debeant ad Eccleſiam, quia dominus directus, cum Eccleſia ſit immortalis ſpe conſolidationis perpetuò priuaretur, ſatis conſtat ex his quæ tradit Io. And. in cap.1. de immunit. Ecc.in 6. In teſtamento quoque ſpecialis eſt ratio, cur valeat prohibitio,ne alienetur in Eccleſiam,quia ſcilicet in vltima volũtate ei, cuius cõtẽplatione fit prohibitio, videtur fideicõmiſſum relinqui in caſũ alienationis.l.vnũ ex familia.§.ſi talia.l.peto. §.fratre de leg.2. quæ rationes ſpeciales ceſſant in legis prohibitione,ergo &c. Reſpõdetur ſecundò, cũ quis ꝓ requie animę ſuæ,& ſic ratione finis ſpiritualis vult prædia Eccleſiæ, vel in piũ opus relinquere,vel donare, iam tum ex diſtinctione Iuriſdictionum ratione finis ceſſat poteſtas laicalis, & ſola in ea re viget Eccleſiaſtica. vt ſuperius dictum fuit. Reſpondetur tertiò, cum iam ab Imperatore fuerit conceſſa Eccleſias ædificandi facultas, eaq́. per Sedem Apoſtolicam recepta, vel confirmata, vt in d.cap.futuram, non poteſt amplius talis conceſſio contraria Conſtitutione

tione reuocari, vt ſupra oſtendimus in articulo prohibitæ ædificationis Eccleſiarum.

Tertiò arguitur, quia iuri quærendo faciiius poteſt præiudicari, quam iuri quæſito, exemplo Prȩlati, qui pȩiudicare poteſt Eccleſiæ in iure quærendo, non tamen in quaſito. Feder. de Sen. conſ. 3. Iaſ. ex communi in l. legatum num. 13. & 16. ff. de legat. 1. Ergo licet Princeps laicus non poſſit Eccleſiæ præiudicare quoad bona ſtabilia iam empta, poterit tamen quoad emenda, quo argumento vſus eſt Bald. in cap. eccleſia S. Mariæ. Hoc argumentum tollitur ratione, exemplo, & text. expreſſis. Ratione, quia cum laicus non poſſit ſtatuere in Eccleſiam, idq́. ei prohibitum ſit, ſiue negatum dictione vniuerſali negatiua, vt in cap. Cum laicis, de reb. Eccleſiæ non alien. & ſimil. & ratio defectus poteſtatis tam vigeat quoad acquiſita, quam quoad acquirenda, in vtraque debet ſibi locum vendicare. Exemplo, quia lex Ciuilis nulla decernit teſtamenta abſque teſtium ſeptem ſolẽnitate confecta, & tamen Eccleſia, vel alia pia cauſa hæres inſtituta lege hac Imperiali non obſtringitur, ſed valet teſtamentum conditum cum duobus teſtibus, iuxta d. cap. relatũ il 1. de teſtam. & tamen quia hoc caſu lex ciuilis præiudicaret tantum iuri quȩrendo vigore teſtamenti condendi, & nõ iuri quȩſito, obligare deberet Eccleſiam, & piam cauſam, quod ſecus eſt, ergo &c. Auctoritate, & textib. expreſſis, quia text. ſæpius citati cap. bene quidem 96. diſtinct. cap. futuram, cap. fin. de reb. Eccl. non alien. & cap. fin. de immunit. Eccl. in 6. declarantes, laicæ poteſtati nefas eſſe aliquid in Eccleſiarum bona ſtatuere, expreſsè loquuntur tam de quæſitis, quam de quærendis. Illud etiam poſſet reuocari in dubium, quod Bald. pro certo ſibi aſſumit, Prælatum Eccleſiæ præiudicare poſſe in quærendis, nam Io. de Imol. & alij relati ab Alex. in l. legatum circa fin. num. 2. verſ. & iſta eſt. ff. de Leg. 1. contrarium ſentiunt, & eorum opinionem receptiorem eſſe, teſtatur ibi Alex. Sed hoc indagare non eſt prȩ-

ſentis inſtituti, cum reſponſiones ſupra explicatæ ſatis diluerint obiectionem.

Quartò arguitur, quod quiſque iuris in alium ſtatuit, ipſe eodem iure vti debet tot.tit.ff.quod quiſque iuris. Sed Summus Pontifex pro dignitate ſtatus Eccleſiaſtici, & pro vtilitate perſonarum Eccleſiaſticarum ſtatuit, ne bona immobilia Eccleſiarum alienentur in laicos, niſi Sede Apoſtolica conſulta, vt in Extrauag. Pauli II. de reb.Eccl.non alien.ergo etiam pati debet, vt Princeps ſecularis pro dignitate ſui ſtatus ſecularis, & pro publica ſubditorum vtilitate conſtituere poſſit, ne bona eorum immobilia alienentur in Eccleſias, quo pacto hæc prohibitio erit conſentanea text. in cap. hoc conſultiſſimo, de reb.Eccl.non alien.in 6.cuius determinatio(inquiunt) decidit ſpeciem ſubiectam. Adduntq́. DD. hac ratione exiſtimaſſe, valere ſtatutum, quo iubeatur, idem ius reddi Clerico litiganti in foro ſeculari, quod redditur ſeculari litiganti in foro Eccleſiaſtico. Iacob. Butrig. ſupra citatus in Auth. Caſſa, C.de ſacroſ.Eccleſ. Quantum ad hãc obiectionem pertinet, velim prius edoceri, vbinam extet hæc ſummorum Pontificum Conſtitutio, quæ bona Eccleſiarum ſpecialiter prohibeat alienari in laicos. nam ſi legantur omnes text.qui habentur in Decreto 12.q.2. & præſertim cap. ſine exceptione, ac alij, qui habentur in Decretali, & præcipuè text. in cap. nulli liceat,tit.de reb. Eccl. non alien. & Clemen.1.eod.tit. & Conſtitutio Pauli II. inter Extrauagantes eod.tit. planè comperietur, prohibitam eſſe ſimpliciter alienationem; adeò vt nec in laicum, nec in perſonas Eccleſiaſticas alienare permiſſum ſit. text. autem in d. cap.hoc conſultiſſimo, quem ait Marcus Ant. Peregrin. decidere ſpeciem ſubiectam, etiamſi prohiberet bona Eccleſiæ in laicos alienari, præberet tantum anſam arguendi ab eo caſu ad noſtrum, non autem quæſtionem decideret. Verum in d. cap. non prohibetur, ne bona Eccleſiarum alienentur in laicos, ſed tantum ne eis ſupponantur, aut ſubmittantur, ne occaſione protectionis ſuſceptæ illa occupent, vel inuadant:

illa enim verba non concedendo bona ipſa in emphyteuſim, vel alienando cum forma, & in caſibus à iure permiſſis, ſed recognoſcendo, vel profitendo, ſe ab illis ea tanquam à ſuperioribus tenere, hunc habent ſenſum, Summus Pontifex non prohibet, bona alienari in caſibus, & cum forma à iure permiſſis, ſed prohibet, ſubmiſſiones fieri, vt exponit gl. in verb. non concedendo, quam ibi DD. ſequuntur, inferentes, illam dictionem ſed, poſitam in materia prohibitiua poſt orationem negatiuam ſtare incluſiuè, quod ibi Dominic. & Franc. in ſpecie adnotarunt. In iure Canonico igitur eſt prohibita alienatio non quoad laicos tantum, ſed indiſtinctè. Verum inde non ſequitur, Pontificem debere etiam permittere, vt idem iuris ſtatuat Princeps ſecularis quoad bona laicalia. Si enim hoc deducitur ex edicto, quod quiſque iuris, præterquam quod illud habet locum in condente ius nouum iniquum, & dolo, vt ſunt formalia eius edicti verba in d. l. 1. in princ. quod nec in hac materia, nec in Pontifice conſiderari poteſt; accedit etiam, quod, vt edicto locus eſſe debeat, ita eſſet arguendum, hoc ius Pontifices ſtatuerunt, vt non liceat alijs alienare bona Eccleſiaſtica, ergo & Pontifex idem ius ſeruare debet, à quo non abhorret ius Canonicum, cum idem iuris ſtatuerit in Pontifice, vt in cap. non liceat Papæ 12. quæſt. 2. & hoc pacto conſequens eſſet, Pontificem bona Eccleſiaſtica alienare non debere, non verò, admittendam eſſe prohibitionem laicorum, ne eorum bona alienentur in Eccleſias. Quod ſi, vt ſuſpicor, argumentum ſumitur à ratione caſus conuerſiua, vt prohibita alienatione bonorum Eccleſiæ comprehendente laicos, ſeruari quoque debeat prohibitio laicorum, ne bona laicorum alienentur in Eccleſiaſticos. Primò reſpondebitur, argumentum ex eo loco deſumi non poſſe, vbi ex vtraque parte non viget eadē ratio iurib. vulgat. Ratio autem diuerſitatis inter hos caſus maxima perſpicitur ex eo, quod Deus tantum eſt Dominus bonorum Eccleſiaſticorum, quæ in eius patrimonium tranſierunt, eiuſq. cultui & honori fidelium largitione dicata

ſunt,

ſunt, & nullus alius. Nauar. in tract. de reditib. Eccleſ. q. 3. num. 1. & poſt Innoc. Butr. & Abb. receptiorem eſſe opinionem atteſtans Franc. Sarmient. de reddit. Eccleſ. par. 3. cap. 1. num. 2. verſ. ſecundo probatur, & ſatis habetur ex Trident. Conc. cap. 1. Seſſ. 25. ibi res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt. Vniuerſalis autem adminiſtratio, ſiue ius ea adminiſtrandi nomine ipſius, pertinet ad Summum Pontificem, particularis verò mediatè vel immediatè à Summo Pontifice conceſſa ad inferiores beneficiatos ſeculares, vel regulares pro cuiuſque inſtitutione, & titulo, vt ibid. per Nauar. verſ. 4. Cum igitur ipſi ſint meri adminiſtratores, vt etiam ſcribunt Io. Mon. & Io. Andr. in cap. fin. de reb. Eccl. non alien. in 6. quid magis abſurdum eſſet, quam adminiſtratores creditæ ſibi Eccleſiæ bona alienare poſſe, quotieſcunque libuerit. Imò nec viris probis vtcunque laicis hoc placeret, cum ijs olim adeò diſplicuerit bona in Eccleſiam collata alienari, vt lege lata prohibuerint alienationes etiam in caſibus à iure Canonico permiſſis. Quam prohibitionem à pia mente, & Eccleſiarũ amore profectam generalis Synodus ob poteſtatis defectum reuocauit, vt habetur in d. cap. bene quidem. Ex quo obiter illud obſeruandum eſt, Eccleſiæ difficile eſſe vitare alteram obtrectationem, vel dilapidationis, ac malæ adminiſtrationis, ſi Eccleſiæ bona alienentur, vel tenacitatis, ſi non permittatur alienatio in alijs caſibus, quam permiſſis, vti lege Canonica cautum fuit, & in præſentia ſeruatur. Sed illam obtrectationem tanquam iuſtam timere oportet, & declinare, hanc verò vt iniquam, & à terreno affectu prouenientem contemnere. Sed ad rem redeamus. Argumentum ſoluitur ex rationis diuerſitate, quia prohibitio alienandi oritur ex eo, quod Rectores Eccleſiarum ſunt meri adminiſtratores, quæ ratio non vendicat ſibi locum in laicis rerum ſuarum dominis, & moderatoribus. Sicut haud aptè argueret, qui cenſeret, prohibẽdam eſſe omnibus alienationem bonorum in minores, prodigos, furioſos, ac Remp. propterea quod eorum bona ad inſtar bonorum Eccleſiaſticorum prohibentur

tur

tur alienari in alijs caſibus, quam paucis expreſſis in l.magis puto. ff. de reb.eor.& tot.tit.C.de præd.minor. ita non rectè arguit, qui à prohibita alienatione rerum Eccleſię in laicos inferre vult ad prohibitionem rerum laicalium in Eccleſias, quæ vtuntur iure minoris cap.1. de reſtit. in int. l.pupilli. ff. ex quib.cauſ.maio. Secundò, reſpondetur, hanc prohibitionem alienationis à iure Canonico conſtitutam, eſſe conſentaneam legibus ciuilibus conditis ab Imperatore, qui & ipſe legibus latis talem alienationem interdixit, auth. de non alien. aut permut.reb.Eccl. in auth.de Eccl. rer.immobil. alien. in auth. de alien.& emphyt. & in d.auth.de non alien. §. ſi quis igitur ſtatuit pœnam in ementes. Fruſtra igitur arguitur à prohibita alienatione bonorum Eccleſiaſticorum, quæ tam à laica, quam ab Eccleſiaſtica poteſtate condita eſt, ad legem prohibentem alienationem rerum laicalium inductam Conſtitutione ſolius laicæ poteſtatis, cui poteſtas Eccleſiaſtica contradicit. Tertiò, reſpondetur, hac lege prohiberi etiam perſonis Eccleſiaſticis bona ſtabilia à laicis donari, vel alio modo in eos alienari, cum tamen ipſi bona ſua patrimonialia in laicos alienare, à ſacris Canonibus non prohibeantur.

Quintò arguitur hoc pacto: Eccleſia tenetur ad ea onera, quæ communem Ciuitatis vtilitatem concernunt, vtputa ad hoſtes procul arcendos, aggeres conſtruendos, pontes reparandos. Bald.in l.ad inſtructionem.C. de ſacroſ.Eccl Olaeli. deciſ.68. Ripa de rem. ad conſ.vbert.nu.224.Guid.Pap. deciſ.7. & 78. & Princeps ſecularis in his, quæ communem vtilitatem reſpiciunt, poteſt legem ferre, ſeu edicta promulgare, quæ etiam perſonas obligent Eccleſiaſticas. Nauar.in Manual.cap.23.num.8. Franc.deciſ.5. num. 3. At huiuſmodi lex condita fuit ob communem vtilitatem, ne laici ob alienationes ad paupertatem redacti ad onera ſubeunda inhabiles reddantur, l.cura.§.inopes, l. reſcripto, in princ.ff.de muner. & honor. iuncta l.ad ſubeunda. C. de decur. lib. 10. ergo etiam Eccleſiaſtici adſtringuntur ad huius legis obſer-

uatio-

uationem. Reſpondetur, etſi plerique ex DD. ſentiant, Clericos ad onera communem vtilitatem ſpectantia teneri, de cuius rei veritate in præſentiarum agere non oportet, ij tamẽ ferè omnes, paucis exceptis, non dicunt, Clericos ligari lege ſeculari, ſed tantum ad illa onera ſubeunda obſtrictos eſſe. Poſſunt autem hæc ſimul eſſe vera, ad ea Clericos teneri, & ad illa non obligari lege, vel ſtatuto laicorum, ſed iure communi Canonico, vel ex lege ciuili recepta, & approbata à lege Canonica, & à Summis Pontificibus. illud enim reſpicit oneris qualitatem, hoc verò ſtatuentis poteſtatem: & ſi qui hoc dicunt explicitè, vel abſque vllo ſolido fundamento, & contra receptas concluſiones ſuprapoſitas loquuntur, vel in hunc ſenſum accipiendi ſunt, vt Clerici non ſubiaceant legi ſeculari id iubenti, ſed teneantur ad id faciendnm, vel omittendum, quod in illa materia communis vtilitatis cautum eſt lege ſeculari, verum non ex vi legis, ſed ex rationis naturalis vinculo, & efficacia, & ex Canonica & morali æquitate; cum enim longe maior ſit laicorum numerus, quam Eccleſiaſticorum, cui dubium, quin exactius ſeculari, quam Eccleſiaſtico Principi inuigilandum ſit circa ea, quæ corporis, rei familiaris, atque agrorum ſalutem, commodum, & indemnitatem, ac conſeruationem reſpiciunt? Ea propter mirum eſſe non debet, ſi latis legibus ſecularibus in hac materia, vel publicatis à laico Principe edictis, quibus pretium frumenti, merciumve ſtatuatur, peccant Clerici illud tranſgredientes, non quia vi legis adſtringantur ex his, quæ dicta ſunt, ſed vel ob dictamen rationis naturalis, vel quia iuſtum præſumitur, quod à Principe laico in tali materia definitum, ſtatutumve fuit. Nauar. in Manuali cap. 23. num. 28. verſ. quia licet, & verſ. qnamuis, vbi propterea hortatur Principem Eccleſiaſticum, vt proprijs legibus, ſeu edictis in hac re iuuet legem, vel edictum Principis ſecularis. quod tradit etiam Ludou. Lopez de contract. & negot. cap. 17. in princ. verſ. ſed quid. Bannes de iuſt. & iur. quæſt. 67. art. 1. verſ. ad ſecundũ reſpondetur. Quæ diſtinctio, ſcilicet, aliud

eſſe

eſſe vi legis ligari, & aliud vi rationis teneri probatur Fortunio Garz.d.tract.de vlt.fin.illat.13. num.158. & 160. & nu. 162.vbi præmiſſa concluſione,lex Ciuilis non repugnans iuri Canonico adſtringit Clericos propter confirmationem iuris Canonici,quærit, quare Pontifex debeat iura Ciuilia approbare, reſpondetq́. propter eorum iuſtitiam, ex quo humanis negotijs pro conſeruatione humani generis proſpiciunt, & ſubdit, ante approbationem leges humanas vi propria non conſtringere Eccleſiaſticum ſibi ſuperiorem, omniaq́. iura Canonica, quibus cauetur,iura Ciuilia Clericos ligare, intelligenda eſſe, vt id verum ſit propter confirmationem Pontificis, non autem ob auctoritatem ipſius legis ciuilis, & hac ratione,vt ait Bald. in l.nemo in princ.C.de ſent. & interlocut. omn. iud. Francigenæ ſeruant leges Imperiales, non quia auctoritatem legis quoad ipſos habeant, ſed quia naturalis ratio, ob quam conditæ ſunt,ita dictat,& ſic non legem ipſam, ſed rationem, vel non legem propter ſe, ſed tanquam à naturalis rationis fonte deriuanrem obſeruant. Idem tradit Purpur.conſ.335.num.2.& 3. Vaſq.de ſucceſſ.creat.lib.1.§.10.num.651. diſtinguens,legem afficere quandoque ex vi poteſtatis, quandoque ex vi confirmationis, aliquando ex vi conuentionis, poſtremo ex vi rationis. Imò quoad hoc vltimum caput,exiſtimat etiam vi rationis Clericum non ligari lege lata à non habente poteſtatem in ipſum. Quæ vera,& ſnbſtantialis diſtinctio comprobatur ex alijs in eadem materia DD. aſſertionibus, nam Clericus contraueniens tali legi, etſi ad eam ſeruandam teueatur,puniri non debet à iudice laico, ſed ab Eccleſiaſtico. Io. Lup. in cap. per veſtras in 2. notab. §. ſed eſt pulchra, de donat. int. vir. & vxor. item cum Eccleſia tenetur contribuere ad onera ratione communis vtilitatis,cogenda eſt ab Epiſcopo, vel alio iudice Eccleſiaſtico,& non à laico. Andr.de Iſern.in cap.1.§.illicitas de pact.iur.firm. Afflict. num.23. Abb.& alij in cap. non minus de immunit. Eccleſ. Sor.quem refert,& ſequitur Franc.d.deciſ.9.num.6. Imò etiam in tali caſu Clericus

ricus tranſgreſſus non plectitur pœna impoſita à ſtatuto laici, imò nec alia temporali, niſi Princeps Eccleſiaſticus idem ſtatuerit. Franc.d.deciſ.9. num.6. quamuis enim contraueniat Clericus charitati, & peccet, non tamen pœna temporali affici debet, quæ non eſt conſtituta ab habente poteſtatem in ipſum, vt ibid. per DD. quæ vera non eſſent, ſi lex communis vtilitatis cauſa à laico Principe lata vi ſua Clericos, & Eccleſiaſticos obligaret, quia Clerici inciderent in pœnam tali lege conſtitutam, & à magiſtratu laico punirentur, & ad contribuendum huiuſmodi oneribus à magiſtratu ſeculari compellerentur ex regula ſupra citata, forum ſortiri & ſtatutis ligari à pari procedunt. Iam ergo ſolutum eſt argumentum confutata maiori propoſitione, ſeu declarata, vt lex ſecularis ob communem vtilitatem lata ex vi legis non adſtringat Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas. Sed alio modo etiam non minus verè ſoluitur argumentum, ſeu ſophiſma redarguitur. Nam cum in maiori propoſitione dicitur, leges laicorum reſpicientes communem vtilitatem, ſeu commune bonum, includunt Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, eſto, verum ſit, intelligitur de vtilitate communi, & indifferenter pertinente tam ad Clericos, quam ad laicos, ſicut etiam id, quod dicitur de onerum contributione, vt patet ex textibus, exemplis, & alijs locis ſupra citatis. At cum in minori propoſitione dicitur, hanc legem prohibentem alienationem reſpicere communem vtilitatem, ſi de communi quoad laicos tantum, vera eſt propoſitio, ſi de communi, tam quoad laicos, quam quoad Clericos, vel Eccleſias omninò falſa, cum his maximum inferat præiudicium. ergo variantibus propoſitionum terminis, non rectè ex eis inferri poteſt concluſio.

Sextò, dicitur hanc legem eſſe permittendam, quia eſt vtilis laicis, & innoxia Eccleſiaſticis, quibus non expedit nimium locupletari, ne à Diuino ſeruitio auocētur, & negotijs ſecularibus ſe propterea immiſcere, neceſſe habeant. Iam ſuperius dictum fuit, harũ rationum, quæ regimen ſpiritua-

le

le reſpiciunt, iudicium, atque arbitrium ſolius eſſe Sedis Apoſtolicæ. Præterea à multis iam ſeculis opes Eccleſiarũ in illis regionibus vel decreuiſſe, vel certè auctas non eſſe. Item remedium, vbi eo opus eſſet, à Sede Apoſtolica obtinendum. Ex abundanti tamen vnum ſufficiat pro reſponſione allegare Turrecrem. qui in cap. expedit 12.quæſt.1. in 3. quæſt.princ. prolixa diſputatione, pluribusq́. vtrinque relatis argumentis, & auctoritatibus, concludit, expedire, vt Eccleſia bonis temporalibus abundet. & in 1. quæſt. eod. cap. docens, diuerſis ſtatibus, ac diuerſis temporibus Eccleſiæ diuerſa congruere, id confirmat auctoritate Alberti Magni dicentis, Eccleſiam à principio humilitate, & charitate niti debuiſſe, & non faſtu, ac regia dominatione, ſed cũ mali in ea multiplicarentur, qui deſpiciunt humilitatem, ſuſpiciunt autem opes, ac potentiam, oportuiſſe redire ad regium dominatum. & in 4.quæſt.eod.loco, diſputans, An ſtatus religionis nihil poſſidentis, neque in communi, neque in particulari, ſit perfectior ſtatu religionis bona in communi poſſidentis, oſtendit ex D. Thomæ ſententia, aliquibus religionibus magis conuenire copiam bonorum temporalium, eoq́. pacto magis vitari terrenarum rerum ſollicitudinem.

Septimò arguitur. Hæc lex, ne liceat alienare in non ſubditos, non cenſetur inferre non ſubditis iniuriam, cum à Iuriſperitis valida iudicetur. ergo nec perſonæ Eccleſiaſticæ exemptæ ſibi illatam iniuriam hac prohibitione conqueri poſſunt, cum exempti exteris æquiparentur. Io. Andr. in cap. 2. de Conſtit. in 6. Reſpondetur primò Eccleſiaſticas perſonas magis eſſe exemptas à poteſtate Principis ſecularis, quã alienigenas ſeculares: nam hi conſentiendo poſſunt prorogare iuriſdictionem alieni iudicis laici, l. 1. C. de iuriſd. omn. iud. illæ autem minimè cap. ſi diligenti de for. compet. quod verum eſſe, Signorol. non negat dicto conſ. in pluribus argumentis contra Eccleſiam: ergo magis læduntur, ſi lege laica obligentur, quam alienigenæ. Secundò reſpondetur, magnũ

eſſe diſcrimen inter exemptos etiam in territorio, vel Diœceſi exiſtentes,& alios exiſtentes extra territorium,vel Diœceſim; nam illi etſi nō ſint de Diœceſi, ſunt tamen in Diœceſi: hi autem neque ſunt in Diœceſi, neque de Diœceſi. Quod etiam eodem modo dicendum eſt quoad territorium. Felin. in cap.graue,num.2. de off.ordin. hinc ſentiunt DD. perſonas exemptas in odioſis & oneroſis non venire appellatione vniuerſitatis, populi, & territorij, venire tamen in fauorabilibus. Felin. latè poſt Paul. de Caſtr. in cap. Rodulphus nu.34.de reſcript.eademq́. diſtinctio adhibetur quoad Clericos,qui cum ſint pars Reip. l.1.§.huius ſtudij.ff.de iuſt. & iur. veniunt appellatione populi in fauorabilibus, ſecus autem in odioſis. Abb. in d.cap. eccleſia S.Mariæ,cuius opinionem receptam teſtatur Felin. ibid. num.74. Dec. nu.10. Grammat.deciſ.100.num.18. idq́. ſumma cum ratione. nam alioqui exemptio illis detrimentum afferret, ac propterea meritò Riminald. in d.conſ.11.num.101.vol.1. dixit, in hac materia fallax eſſe argumentum de exteris ad Clericos. Patet ergo,ab exteris ad exemptos argui nullo pacto licuiſſe.

Octauò, dicitur huiuſmodi ſtatuta in toto orbe Chriſtiano vigere, & obſeruari, imò commendari, ac Dei ſeruitio congruentia ab omnibus exiſtimari. Quod laudentur ab omnibus, & Dei ſeruitio vtilia ab omnibus cenſeantur, nullus teſtis affertur, nec, niſi fallor, poteſt afferri. Quod verò in multis Italiæ ciuitatibus, aut fortè in tota Italia haberentur hæc ſtatuta, & quoad Eccleſias etiam ſeruarentur, teſtes citantur. Signorol. in d.conſ.21. qui loquitur de partibus Lōbardiæ, & Marian. Socin. in d.conſ.76. num.30.lib.3. Additur etiam,Valentinianum olim ſtatuiſſe, ne Clerici quicquā à mulieribus emere poſſent, ac Diuum Hieronymum de lege non conqueri, ſed cur Eccleſiaſtici legem meruerint. Aliam ſimilem legem condidiſſe Carolum Magnum, eamq́. diu fuiſſe obſeruatam. Idem quoque cautum fuiſſe Conſtitutione S. Ludouici Regis; à multis eius ſucceſſoribus confirmatā. Idem in pluribus locis ſtatutum fuiſſe in Ducatu

Bur-

Burgundiæ, & in Belgio, & in partibus Germaniæ, vt teſtatur Gail. in loco ſupra citato. Odoardum Angliæ Regem itidem ſanxiſſe, vt Reſp. In regno Portugalliæ extare legem, vt Eccleſiæ & Monaſteria, neque emptionis, neque ſucceſſionis, neque donationis titulo ſtabilia emere poſſint abſque licentia Regis, eamq́. legem obſeruari etiam in alijs regnis Hiſpaniarum. Molin. de iuſt. & iur. diſput. 140. verſ. quia de iure. Iacobum Aragoniæ Regem idē ſtatuiſſe de bonis, quæ appellātur de Realengo, teſte Petro Bellug. in Specul. Princip. rubr. 14. Eandem legem condidiſſe Federicum Siciliæ Regem anno 1296. In Ianuenſi item ciuitate extare Conſtitutionem, vt bona omnia Reip. ſint affecta, & in Eccleſias alienari non poſſint. Idq́. etiam caueri ſtatuto Ciuitatis Senarum. Pium V. idem ſtatuiſſe in oppido del Boſco eius patria. Clementem VIII. prohibuiſſe, ne Eccleſia ſancta Lauretana amplius emeret bona ſtabilia.

Quod pertinet ad ſtatuta Italiæ, & ad DD. hac de re teſtimonia, primò illud meminiſſe oportet, Doctori de cōſuetudine atteſtanti, an ſtandum ſit, dubiam eſſe quæſtionem, & ſtari non debere, communem eſſe opinionem, teſtatur Dec. conſ. 402. ad fin. verſic. ſecundò reſpondetur. Bertrand. conſil. 181. colum. 5. volum. 3. deinde talibus ſtatutis, vel eorum receptioni, quod ad eos pertinebat, Eccleſiaſticos contradixiſſe, vt dignoſcitur ex controuerſia habita Mediolani inter Archiepiſcopum, & ſecularem magiſtratum, in qua Signorol. pro magiſtratu ſeculari, & Alberic. pro Archiepiſcopo adhibitus fuit, vt ipſe Alberic. teſtatur loco ſupra citato, idemq́. colligitur ex verbis DD. hanc quęſtionem examinantium, dum aiunt Oldrad. in citata diſputatione ſæpius ea de re conſultum fuiſſe, atque etiam ex varijs Doctorum reſponſis de hac materia redditis propter controuerſias & altercationes. Poſtremò obſeruandum eſt, opinionem noſtram, quantum coniectura aſſequi licet, aduerſus laicam poteſtatem præualuiſſe, tum quia recentiores Iuriſconſulti reſponſis pro hac parte editis, quæ ſuperius indica-

dicata ſunt, tali conſuetudini nõ reſpondent, quod feciſſent, ſi ea tum viguiſſet, tum etiam quoniam hodie videmus, in vniuerſa Italia contrarium obſeruari, vt bona ſtabilia in Eccleſiam alienentur. Quæ cum ita ſint, conſuetudo laicorum, obſtrepentibus Eccleſiaſticis, nulla eſt quoad eos, cum ita demum Eccleſiam obliget talis conſuetudo, ſi ſit mixta laicorum & clericorum. DD. omnes in d. cap. eccleſia S. Mariæ, & cum verſemur quoad Eccleſiaſticos in actibus negatiuis, id eſt, quia non emerint bona ſtabilia laicornm, cum id euenire potuerit, vel quia noluerint emere, vel quia pecunia caruerint, vel quia laici alijs laicis diſtrahere maluerint; ex talibus actibus non poteſt induci conſuetudo, niſi a tempore, quo Eccleſiaſtici volentes emere fuerint prohibiti, iuxta not. per Cin. in d. l. 2. C. quæ ſit long. conſuet. Alex. conſ. 6. viſa inueſtitura lib. 5. Multis alijs requiſitis, oſtẽdi poſſet, hãc cõſuetudinem carere, quæ traduntur in l. de quibus. ff. de legib. & in l. 2. C. quæ ſit long. conſ. ſed his in præſentia ſuperſedere, ſatius eſt, quia inferius ſolidiſſimis fundamentis oſtendetur, conſuetudinem ad hanc exemptionem infringendam nec vllam, nec alicuius roboris ſubeſſe. Nõnulla tamen prætermittenda in hoc caſu non ſunt In primis (quod vel ſolum in hac materia ſufficeret) cũ vſus, ſi quis erat in hac materia, proueniret aduerſus Eccleſiaſticos ex dictis ſtatutis cõditis, nunquam ex eo induci potuit conſuetudo, cum omnes actus ſubſequuti tribuendi ſint potentiæ ſtatuti, quamuis inualidi, ita iubentis, vt per DD. in locis ſupra citatis. Deinde, talis conſuetudo ſi extaret, non poſſet in legem redigi a Principe laico, vt ſupra dictum fuit. Demum in hoc caſu noſtro apertè conſtat, conſuetudinem non ſubeſſe, ex ſcriptis legem defendentium, qui relata lege anni 1333. ſubdunt, quæ lex cum variè obſeruaretur, quod cautè dictum fuit, cum reuera nullo pacto ea lex fuerit obſeruata, varietas autem vſus excludit conſuetudinem, quæ vt legitima ſit, debet eſſe vniformis, DD. in d. l. de quibus, & alibi paſſim. Imò Senatus Venetus litteris ad Ciuitates ſuas hac de re datis, faſſus eſt, nedum

legem

legem anni 1333. ſed etiam aliam anni 1536. vſu receptam non fuiſſe, id vitio vertens Magiſtratibus, quorum in hac re negligentiam notauit. Præterea cum hæ leges anni 1333. & anni 1536. eſſent ſtatutæ quoad Ciuitatem Venetiarum, vt ipſimet narrant, non poteſt excuſari earum maxima extenſio ad totum Venetum dominium, ſubſequuta nouiſſimè anno 1605. In quo valde mirandum eſt, talem extenſionem ea ratione excuſari, quia cum conſuetudines Venetæ Ciuitatis iam ſeruare hac in re Ciuitates omnes Veneti dominij tenerentur, tametſi noua lex ea de re condita non fuiſſet; id ſtatuere nõ fuerit aliquid innouare, nec aliquid noui iuris conſtituere; ſiquidem ex ſententia Saluij Iuliam relata à Iuſtiniano in l. vnic. C. de veter. iur. enucl. §. ſed etſi, omnes debẽt ſequi conſuetudinem vrbis Romæ, mirum eſt (inquam) hanc excuſationem afferri. Quæro enim, ſi leges anni 1333 & anni 1536. vi ſua vniuerſum dominium Venetum complectebantur, quid opus fuiſſet tali extenſione, ſi priores leges iã erant ibidem receptę? quod ſi receptæ non erant, cur Reſpub. leges ſuas ad vniuerſum dominium pertinentes, à tot Ciuiuitatibus minimè recipi, oppoſitumq́. paſſim ſeruari paſſa eſt? ſi autem eæ leges in reliquo Dominio erant non vſu ſublatæ, cur eas rurſum condere mandareq́; vt obſeruentur, vbi non vigẽt, nõ fuit innouare? Præterea, cur hæc vocatur extenſio, & non comprehenſionis declaratio? Ad hæc nonne ipſimet fatentur, priores duas leges ad reliquum dominium non pertinuiſſe, cum aiunt, nouiſsimam legem editam fuiſſe, *per ridurre tutto lo ſtato ſuo ad vniformità*? Nec eſt, quod allegetur ſententia Saluij Iuliani, cum Ciuitates non teneantur ſequi conſuetudinem Vrbis Romæ in eis materijs, in quibus ipſæ habent ſuas ſpeciales conſuetudines. l. de quibus, vbi gl. in verb. de quibus ſententiam eiuſdem Saluij Iuliani probè explicat. ff. de legib. adeò vt in ſubſidium ad conſuetudinem Vrbis Romę recurri debeat. Accedit legem latam Romæ nõ afficere alias Ciuitates, cum legislator eam tulit, vt vrbi Romæ tantum proſpiceret. Duas autem priores leges reſpexiſſe

tan-

tantum Ciuitatem Venetiarum, ex ipſorum Defenſorũ verbis colligitur, cum aiunt: *eſſeſe la legge, che era ordinata per la Città di Venetia à tutto lo ſtato*. Hæc quoad DD. atteſtationes, & conſuetudinem Italiæ, ac Venetę regionis. At quoad alia congeſta exempla legum ſimilium, fruſtra laboraſſe, qui illa conquiſiuerunt, ſatis conſtat ex eo, quod, vt demonſtrabitur, nulla conſuetudine iuuari poſſint talia ſtatuentes. præterea ſi totas illas leges, ſi quæ conditæ ſunt, inſpiciendi ſuppeteret facultas, facilè ex earum tenore appareret, longè minus quã has, de quibus agitur, eſſe præiudiciales, vt ſupra oſtenſum fuit circa ſtatutũ Mediolani ex Signorol. conſil. In prõptu etiã eſſent aliç reſpõſiones. Exemplis nõ eſt iudicandum. Multiplicare inconueniens non eſt ſoluere. Non poteſt Pontifex omnes abuſus de Eccleſia tollere, & his ſimiles. Ex abundanti tamen ſingulis reſpondetur. Et in primis ad l. Valentiniani, eã neque approbari à S. Hieronymo in epiſt. 2. ad Nepotianum, qui illis verbis, de lege non conqueror, id tantum ſignificare voluit, ſe temporale detrimentum nihili facere, id verò ægrè ferre, Eccleſiaſticos ſuis moribus talis legis condendæ in cauſa fuiſſe: & reprobari grauiſsimis veriſq; expoſtulationibus à S. Ambroſio in epiſtola ad Valentinianum Imperatorem, quæ in impreſſione Rom. oper. Ambroſ. anni 1585. habetur tom. 5. lib. 2. Epiſtol. epiſt. 12. Imò eam legem circa initia euanuiſſe, & à latore ſuo expunctam fuiſſe, cenſuit Io. Molan. lib. de pijs teſtam. cap. 34. erga fin. verſ. ſed non eſt neceſſe. Et quamuis lex illa in Cod. Theod. lib. 16. tit 2. l. 20. & 27. circumferatur, non ideò reuixiſſe cenſenda eſt, cum Codex ille cum ſuis legibus à Iuſtiniano fuerit abrogatus. Legem huiuſmodi à Carolo Magno latam nuſquam comperij, eſtq; valde inueriſimile, propter eximiam tanti Imperatoris pietatem, qui etiam de rebus temporalibus cum Epiſcoporum conſilio ſtatuere conſueuerat, & cauſas criminales Clericorum, faſſus eſt, Imperatorias vires excedere lib. 1. Capitularium cap. 281. Præterea ſuperius in reſponſione ad Choppinum iam diximus conſuetudinem

amor-

amortizationis in regno Franciæ nec ſatis cõſtare, nec ſi cõſtet validam eſſe,prætereà illam veritati noſtræ concluſionis non obeſſe.Eſſe etiam qui teſtentur in bonis ſtabilibus non feudalibus,nec emphyteoticis in eo Regno obſeruari l.1.C. de ſacroſ. Eccl.vt Eccleſia ſit capax acquiſitionis, vt Guil. de Benedict.in loco ſupra citato. Quod idem verè affirmari poteſt de Ducatu Burgundiæ,& de Belgio,quę cũ ſint partes antiquæ Galliæ,eodem,quo Gallia, iure vti, omnes norunt. In partibus Germaniæ cum eſſent ſimilia ſtatuta, tanquam iniqua & de facto cõdita, fuerũt à Carolo IV.piè, & ſapienter generali Conſtitutione abrogata, cum decreto, vt ſi in futurum alia ſimilia edi contingeret, inania & nullius valoris eſſe cenſerentur, eaq́. Cõſtitutio a Cõcilio Conſtantienſi fuit confirmata, vt ſupra dictum fuit. In regno Angliæ hanc legem condidiſſe Odoardum,ſcribit Polidorus Virgilius, ſed addit,cum ipſe Clerum iniquè exagitaret,& monitu Bonifacij 8.& Concilij Lugdunenſis ab incæpto nequaquam deſiſteret, Angli,excitata ſeditione ipſum in ſummum diſcrimen adductum compulerunt, vt Populo promitteret,ſe de cætero nunquam illi tributum impoſiturum, abſque conſenſu Ordinum Regni. quo pacto dum Eccleſiaſtica iura tentat vſurpare, Dei permiſſu facultatem ſibi in temporalibus competentem labefactat. legem verò regni Luſitaniæ, cum ſanctæ mem. Clemens Quartus compertam habuiſſet, ad Regem protinus litteras dedit,vt correctione non expectata,eam reuocaret,vt ſuperius relatum fuit.Imò Franc.Cel.tract.de immun.Eccl.in fin.ſcriptum reliquit,Regem Alfonſum ſimilem in d. regno legem condidiſſe, ac propterea ab Honorio III. fuiſſe excommunicatum, ac regnum interdictum, poſteaq́. ipſum abſolutũ initis cum Clero conuentionibus, quas, ait, fuiſſe poſtea à Sum. Pont. approbatas, ſeq́. apoſtolicum eius approbationis vidiſſe diploma.In regno Caſtellæ lex ſimilis non habetur,imò cum ſimile decretum emanaſſet aduerſus quoddam monaſterium monialium eius Regni, Sum.Pontifex anno 1237.Regem Ferdinandum per litteras admonuit,

vt ordinationem aboleret, iſq; ſtatim paruit Pontifici, vt legitur in hiſtorijs Ordinis S. Dominici, in 1. par. cap. 42. pag. 86. lib. 1. Imò cum ſæpius Proceres Regni Hiſpaniarum ijſdem rationibus legem huiuſmodi à Carolo V. & Philippo II. poſtularent, ipſi nunquam id conſtituere voluerunt, & ſe cum ſummis Pontificibus acturos, reſponderunt. Quoad regnum Aragoniæ, Petr. Bellug. d. rubr. 14. tit. de amortizationibus, §. veniamus, verſ. & hæc, amortizationem exorbitantem eſſe, ac libertati Eccleſiaſticæ contrariam fatetur, ſed eã propterea exiſtimat in eo Regno poſſe defendi, quia cum Reges illud iure belli iuſti, Mauris expulſis, acquiſiuerint, etiam omnium rerum in Regno exiſtentium particulare dominium acquiſiuiſſe intelliguntur. Hanc rationem non magno negocio validè refellere, ſimulq; probare clariſſimis fundamentis poſſemus, amortizationem Eccleſiaſticæ libertati aduerſam eſſe, nulloq; iure defendi, aut ſuſtineri, ſed quia id nec præſentis eſt breuitatis, nec ad noſtram quæſtionem magnopere pertinet, ſatis ſit reſpondiſſe, rationem huiuſmodi illis Principibus non conuenire, qui in bona ſubditorum vniuerſalem tantum habent iuriſdictionem, non autem dominium, aut proprietatem rerum ſingularium, vt ſupra dictum fuit. Lex à Federico II. Siciliæ Rege lata, tanquam repugnans Eccleſiaſticæ immunitati ab eius ſucceſſore Carolo II. abrogata fuit, teſte Afflict. ad Conſt. regn. lib. 3. rub. 26. num. 12. In Ciuitate Ianuenſi id ſtatutum non extare, ciues Ianuenſes Romæ teſtantur. Quamobrem ſi verè non extat, adduci non debuit; ſi extat, mirum non eſt, ſtatutum quod ignorant ciues, ignoraſſe etiam Summos Pontifices. In ciuitate Senarum iure municipali cautum fuiſſe, vt hoſpitale S. Mariæ vendere teneretur bona ſtabilia ſibi relicta, teſtatur Bald. in Auth. porrectum num. 18. C. de ſacroſ. Eccleſ. ſed ipſe ibi id ſtatutum nullum eſſe, & Eccleſiaſticæ libertati contrarium, affirmat. In oppido del Boſcho à ſanctæ mem. Pio V. & in Ciuitate Lauretana à ſanctæ mem. Clemente Octauo idem ſtatutum eſſe, ait Frater Paulus. Sed hoc noſtram

ſtram iuuat opinionem, huiuſmodi ſcilicet legem, vbi æquitas expoſcat, condendam eſſe duntaxat à Summo Pontifice, neque opus eſt vti cauillo, quem frater Paulus ſimul con fingit, & refellit, Pium V. vti dominum temporalem Lauretanæ ciuitatis à ſeipſo licentiam accepiſſe eius legis condendæ. Nam cum Lauretana Ciuitas ei ſubeſſet non tantum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, videtur Pōtifex ita ſtatuiſſe vti Pontifex, non vt dominus temporalis: etenim vulgata eſt Iuriſconſultorum aſſertio, vtraque fultus poteſtate, ea vſus cenſetur, ex qua ſuſtinetur actus.

Confutatis hoc modo argumentis, quæ aliquo pacto vrgere, videri poſſunt, ad reliqua, quæ vel ſupradictis affinia ſunt, vel facile ſolubilia, eodem ordine paucis reſpondebitur.

Nonò dicunt, aliquos aſſerere, licuiſſe Principi laico edere legem, qua alienatio abſque eius licentia prohibeatur, talemq́. licentiam concedere laicis & abnuere Eccleſijs: non autem potuiſſe Principem laicum directè id ſtatuere in Eccleſiam, id ait frater Paulus facultate Dialectica refelli; nam cum poſito genere poſitæ quoque ſint quęlibet eius ſpecies, ſi potuit Princeps laicus generatim id ſtatuendo Eccleſiam comprehendere, poteſt etiam in eam ſpecialiter ſtatuere. Reſpondetur huiuſmodi elencho, ſeu redargutione nequaquam opus fuiſſe, cum priorem propoſitionem, quam frater Paulus neſcio cui tribuit, nos nequaquā admittamus; ſiquidem huiuſmodi legem generatim latam, Eccleſiaſticas perſonas, & Eccleſias non adſtringere, at eam quæ ſpecialiter Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas exprimat, & multò magis eam, quæ piarum cauſarum diſpoſitiones inualidat, & euertit, maximo Iuriſconſultorum omnium conſenſu nullam, atque irritam eſſe concluſimus.

Decimò arguitur, ſi Domino prædij quæſita ſit ſeruitus in fundo alterius, & fundus in Eccleſiam alienatur, retinet prædij dominus ſeruitutem. Sed maius eſt ius, quod in prędijs ſingulorum habet ſupremus Princeps, cum poſſit ex cau-

ſa derogare dominio, & iuri priuatorum; priuati autem nunquam derogare poſſint dominio Principis. ergo ſi priuatus id ius retinet, multò magis fas eſt Principi illud retinere, vel per prohibitionem alienationis indemnitati ſuæ conſulere. Reſpondetur, iam dictum eſſe, onera realia rem ipſam concomitari, cap. cum ſic, de decim. iuriſdictionem autem Principis, ſeu eius vniuerſale dominium, etſi ſit firmius dominio priuati, ceſſare eo ipſo, cum bona in Eccleſiam alienantur, vel alias in pium vſum relinquuntur. ea enim alienatione, vel legato tranſeunt in dominium Chriſti, qui etſi habeat in rebus omnibus verum, & ſummum dominium illa ſua diſpoſitione generali, qua Domini eſt terra, & plenitudo eius, tam quoad naturam, quàm quoad vſum. S. Thom. in 2. 2. quæſt. 66. art. 1. in bonis tamen profanis dominium priuato, & vniuerſalem iuriſdictionem Principibus relinquit, in bonis autem Eccleſiæ quacunque diſpoſitione collatis verũ, & proprium dominium ſibi retinet, latè Nauar. d. tract. de redit. Eccleſ. quæſt. 3. monit. 33. num. 1. verſ. 2. & 3. Quamobrem Princeps laicus tanti facere non debet ſuam illam vniuerſalem iuriſdictionem, ſeu vniuerſale dominium, vt exiſtimet, ſe poſſe impedire, quo minus ſummus, & vniuerſalis omnium rerum dominus ſpeciale dominium in huiuſmodi rebus acquirere poſſit.

Vndecimò referuntur annatę, quindenniorum ſolutiones, & alia huiuſmodi, quæ integris ſunt voluminibus à Catholicis ſcriptoribus defenſa. Hæc omnia potius noſtram confirmant ſententiam; non enim Sedes Apoſtolica hæc conſtituit, aut exigit ex alijs bonis, quam ex illis, quæ ad Eccleſiaſticam, & ſic ad ſuam pertinent poteſtatem.

Duodecimò, obijciuntur amortizationes, quibus ſupra ſatis eſt reſponſum.

Decimotertiò, finem legislatoris fuiſſe, laicorum, & Reip. vtilitati proſpicere, poteſtatemq. laicorum limitare, ac illis frenum imponere, non autem Eccleſias, & Eccleſiaſticos lædere. Quod ſi id præter eius mentem, & indirectè eueniat,

ei non

ei non eſſe imputandum. Eum quoque qui opes iam partas tuetur, impedimento eſſe diuitias cumulantibus, nec propterea eis iniuriam facere. Reſpondetur, Principem laicum nec indirectè, nec directè poſſe, aut debere violare Eccleſiaſticã immunitatem, vt omnes auctores clamant, & probatur ex text. cap. ſtatutum de hæret. in 6. vt iam ſupra dictum fuit in tertia ratione pro Eccleſia, & quidẽ non excuſatur prohibens laicis huiuſmodi alienationem in Eccleſiaſticos, quaſi de laicis ſtatuat, non de Eccleſiaſticis; quia talis eſt materia, in qua adſtringi, vel comprehendi non poteſt laicus, quin ſimul attingatur Eccleſiaſticus, vt in hoc caſu euenit, in quo prohibitio directa in laicos, ne vendant, inſpecto effectu repellit etiam Eccleſiaſticum ab emptione, & propterea Princeps laicus ob hanc communionem, ſeu miſtionem laicorũ, & Eccleſiaſticorum non habet iuriſdictionem quoad hoc etiam in laicos. Ita cum Clericus ſimul & laicus delictum committunt, quia proceſſus in laicum attingeret etiam Eccleſiaſticum, ius cognoſcendi tam quoad Eccleſiaſticum, quam quoad laicum, ad iudicem tantum Eccleſiaſticum pertinet. Boſ. poſt alios tit. de for. compet. num. 246. ſic concubina Clerici quamuis ſit fori iudicis laici, quia tamen iudex laicus aduerſus eam criminaliter procedere ob concubinatum occultum nequit, abſque eo quod Clerico infamia irrogetur, concubina hac ratione efficitur, & ipſa de foro Eccleſiaſtico. Anchar. in conſ. 196. num. 6. Felin. in cap. ſi concubinæ in princ. de ſent. excom. ſic etiam vulgaris eſt propoſitio in re communi priuilegiatum communicare ſuum priuilegium non priuilegiato, l. ſi communem. ff. quemadm. ſeru. amitt. in princ. cum ſimil. Opes autem ſuas conſeruans impedimento quidem eſt alteri, ne acquirat, ſed eum non reddit propterea inhabilem ad acquirendum. Hæc autem lex Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis adimit acquirendi facultatem, hoc eſt, eas inhabiles reddit, quod pertinet tãtum ad habentes poteſtatem in eas.

Decimoquartò, ſtatutum laicorum modum imponens fu-

neris impenſis eſſe validum ex ſententia Caietani in Summa verſ. excommunicatio cap.31. & tamen hoc pacto Eccleſiaſticos excludi ab vtilitate, quam perciperent, ſi ſumptuum quantitatem ſtatutum non præſcripſiſſet. Reſpondetur primò contrarium ſentire Roman. in ſing.358. incip. Reuerendus. Aliquos diſtinguere inter impenſam ceræ, vel alterius rei ſimilis concernentem Clerum, & aliam, quæ concernit pompam Clericis inutilem, vt Felin. in cap. eccleſia S. Mariæ num.121. ſentiens in priori caſu non valere ſtatutum, licet valeat in poſteriori, & cum opinione Felin. quoad priorem partem conſentire Abb. & Imol. quos refert, & ſequitur Dec. in d.cap. eccleſia S.Mariæ num.49. Aliò modo plenius, & exactius diſtinguit Tabien. in verb. excommunicatio 5. caſu 20. contra libertatem Eccleſiaſticam, videlicet, vt ſi laici ſtatuant circa ea, quæ immediatè erogantur in eleemoſynam, vel in refrigerium animæ defuncti, ſtatutum nullo modo valeat, ſi verò ſtatuant tantum de his, quæ reſpiciunt pōpam, vel refrigerium viuorum, vtputa, vt filij defuncti tantū, non autem alij hac de cauſa atri coloris veſtibus induantur, & alia, quæ non remanent apud Eccleſiam, ex quibus neque Eccleſia, neque pauperes recipiunt aliquod emolumentum, validum ſit ſtatutum, quod ſi ſtatuatur de his, quæ ſapiunt vtrumque, nimirùm, vt non vocentur niſi tot Clerici, vel quòd non accendantur niſi tot candelæ, & tanti ponderis tantum, quæ partim pompam, & viuorum refrigerium, partim etiam refrigerium animæ defuncti, & pietatem Clericorum, vel pauperum reſpiciunt, & ſic mixta ſunt ex pietate, & pompa, hoc caſu res magis eſt dubia, putat tamen Tabien. tutiorem eſſe opinionem, nullum eſſe huiuſmodi ſtatutum, ibiq́. refert Pet. de Mont. Epiſcopum Brixien. in repertorio in littera ſtatutum, teſtari ſe Brixiæ reuocari feciſſe ſimile ſtatutum, quo impenſis funerum modus ſtatuebatur. Quapropter opinio Caietani aduerſatur communi, & tamen ſi vera eſſet, nihil noſtræ concluſioni officeret, cum eo ſtatuto non ſpolientur Eccleſiaſtici alicuius rei commercio, & Caietanus

ietanus ſuam opinionem limitat,cum ſtatutum non diſponit niſi de his, quæ tendunt ad honorē, contrarium ſentiens de his, quæ reſpiciunt animæ vtilitatem, ſicut reſpiciunt legata pro requie animarum relicta, quæ hac Reip. lege prohibentur.

Decimoquintò quærere libet, ex qua pecunia Eccleſiaſtici empturi ſint bona ſtabilia, cum reditus Eccleſiarum in quatuor partes diuidi debeant, quarum alteram Epiſcopus ſibi retineat,alteram Clericis Eccleſiæ diſtribuat,tertiam fabricis,quartam pauperibus eroget, iuxta cap. conceſſo 12.q. 1. Reſpondetur empturos priori portione, vbi quid ipſis ſupererit etiam cum parſimonia, abſtinentia, & ſobrietate decenter altis,cum decentia ſtatus, ſecundum quam beneficiatus vitam ſuſtentare poteſt ex reditibus Eccleſiaſticis,non ſit poſita in puncto indiuiſibili; ſed habeat maiorem, vel minorem latitudinem,iuxta ſui ſtatus magnitudinē, vel paruitatē,vt ait Nauar.in tract.de redit.Eccleſ. quæſt. 1.monit. 45.n. 2. Item poterunt Eccleſiaſtici emere ex portione fabricæ attributa,ſi fabrica non egeat. Ex ea etiam quæ deſtinata eſt pauperibus,ſi ob annonæ vbertatem,vel alia de cauſa expediat erogationem eleemoſynæ reijci,ac reſeruari in annum inſequentem. Ex alijs etiam pecunijs confectis, vel ex proprijs patrimonij fructibus, vel ex fidelium largitione. Sed hoc quæſitum quid pertinet ad prohibitam quamcunq; aliam translationem bonorum ſtabilium in Eccleſiam ex teſtamento,ac donatione, in quibus nihil opus eſt inire rationem pecuniæ comparandæ?

Decimoſextò,quoad prohibitam donationem,vel legatū, & inſtitutionem nihil obeſſe,aiunt,Eccleſiaſticis, qui vendere hac lege coacti pretium cōſequentur, quod æquiualet rei. Reſpondetur, Eccleſiæ plurimum intereſſe bona ſtabilia ſibi relicta poſſidere,cum pecunia varijs periculis ſit expoſita,& facilius poſſit diſſipari,& ex bonorum ſtabiliū fructibus plura poſſint fidelibus miniſtrari,quam ex pecunia,vt iam animaduerſum fuit in cap. Videntes 12. q. 1. Non qui prædijs hæreditatis

ditatis venditis pretium recepit, ſed qui pretio alia prædia comparauit, diminuiſſe quæ vendidit, non videtur, inquit Iuriſconſultus in l.Imperator §.ult.cum l. ſeq. ff. de legat. 2. Præterea cum Eccleſia iubeatur hac lege intra certum tempus rem ſibi relictam diſtrahere; idq́. in toto dominio notiſſimum ſit, difficile erit congruum pretium conſequi ab emptoribus Eccleſiæ neceſſitatem probè ſcientibus. Quid? quod nõ reperto emptore, magiſtratus Secularis ipſe bona huiuſmodi vendendi, quo voluerit pretio, ex lege curam ſuſcipiet?

Decimoſeptimò arguit frater Paulus his verbis: Potrà far il Senato altra legge ſopra i beni de i ſudditi ſuoi cõueniẽte al ſuo buon gouerno, quando ne ſarà di biſogno, la fa al preſente ſopra gli Eccleſiaſtici, perche conuiene eſſer coſi regolato il corpo della Republica, acciò ch'vn membro nõ creſca più del douere, ſi che faccia il corpo moſtruoſo, & prendendo più alimento del conueniente dannifichi l'altre membra; &c. Iam tandem hoc loco fatetur frater Paulus, hanc legem editam eſſe in Eccleſiaſticos, ibi, e la fa al preſente ſopra gl' Eccleſiaſtici. Si frater Paulus vnam iuriſdictionem, vnamq́. Remp. eamq́. laicam in mundo à Deo conſtitutam confingit, eiuſque duo membra, ſeculares, ſcilicet, & Eccleſiaſticos eſſe cõtendit, iã ex hoc efficitur, vtroſque, ideſt non ſolùm laicos, ſed etiam Eccleſiaſticos tanquam alterum huius laici Principatus membrũ illi ſubditos eſſe, atque ab eo coerceri poſſe. Sed abſit, hanc portentoſam opinionem ab ore Catholici hominis prodire, nã ea vel tollit diſtinctionem iuriſdictionũ à Deo inſtitutã, cap. verũ, cap. duo ſunt 96. diſt. vel tribuit laicæ poteſtati iuriſdictionem in res Eccleſiæ temporales, eamq́. adimit Summo Pontifici. quod adeo contradicit veræ omnium Catholicorum doctrinæ, vt Marſilius de Padua, & Ioannes de Hus eiuſmodi errores ſequuti, alter à Ioanne 22. alter verò à Conſtantienſi Concilio ſub Martino Pontifice ſeſſione 8. fuerint damnati. Nam vna quidem eſt Reſp. cum duabus poteſtatibus, Eccleſiaſtica videlicet, & laicali; ita vt laicalis dependeat ab Eccleſiaſtica, illiq́. ſubſit, vt ex communi

muni DD.ſententia poſt Abb. Ant. Sand. Ant. Sicul. & alios tradit Reſtaur. Caſtald. tract. de Imperat. q. 50. n. 16. vel ſaltē quodammodo dependeat a ſpirituali poteſtate in ſua perfectione, ita vt ad vitā æternam dirigatur, vt ſentit Turrecrem. in cap. duo ſunt. n. 3. verſ. ad tertiam, diſt. 96. Imo cum ſupradictæ duæ iuriſdictiones naturalem quandam ſimilitudinem, & proportionem habeant ad animam, & corpus; ad ſpiritum & carnem, ad Deum, & mundū, vt habetur in oratione Gregor. Nazian. ad populum timore correptum, atq́. in opuſculo S. Thom. de regim. Princip. Sicut anima non eſt propter corpus, ſed corpus propter animam, & materia propter formam, Ariſtot. 1. Phyſic. & ideò anima corpori præſidet, illudq́ moderatur, ac regit; & caro non in ſpiritum, ſed ſpiritus in carnē habet imperium; & non Deus à mundo, ſed mundus à Deo dependet; ita poteſtas ſpiritualis naturaliter maior eſt temporali, eamque; quatenus ad ſuum finem expedit, dirigit, & coercet, non autem dirigitur, aut coercetur ab ea. Turrecrem. d. loco verſ. ad 3. Michael Vulcurt. de regimin. mund. in 2. part. in 2. princ. queſtione in cap. iſta quæſtio eſt ita ardua num. 80. vbi ſubdit, Imperatorem ad finem & effectum ſpiritualium, & beatitudinis æternæ non habere poteſtatem communem, ſed eſſe perſonam priuatam. Quamobrem ſi Eccleſiaſticorum reditus plus iuſto excreſcunt, quod vt ſupra dictum fuit, vix eſt, vt ita ſe habere poſſit remedium à Sede Apoſtolica, ad quam pertinet, poſtulari, non ab inferiori poteſtate in maiorem aſſumi debuit iuriſdictio, idemq́. reſpondetur ad id, quod additur, priuilegium conceſſum Eccleſiæ incipere eſſe damnoſum.

Decimooctauò. Cum prius frater Paulus nomen libertatis Eccleſiaſticæ Dei ordinatione conſtitutum, & per tot ſecula ab omnibus ſcriptoribus, atq́. adeò ab ipſis generalibus Concilijs receptum, ac inculcatum nouitatis arguiſſet, ipſe nouum nomen excogitat, dicens, ſi legibus laicorum alienationem bonorum laicalium in Eccleſiaſticos prohibentibus offenditur libertas Eccleſiaſtica, ergo legibus Eccleſiaſticis

M pro-

prohibentibus alienationem bonorum Eccleſiaſticorum in laicos, offenditur libertas ſecularis. Huic argumento iam ſatis eſt reſponſum ſuperius, cum inter vtrumq́. caſum prohibitæ alienationis expoſita eſt ratio diuerſitatis. Illud tamen etiam nunc reſpondendum, hoc argumentum ſimile eſſe ei, quod attulit Turrecrem. in dicto cap. ſi Imperator n. 1. verſ. 3. vbi propoſita quæſtione, An perſonæ Eccleſiaſticæ ratione peccati ſint obnoxiæ poteſtati temporali, ſic arguit: poteſtas ſpiritualis in certis cauſis ſe intromittit de pertinentibus ad poteſtatem temporalem, cap. licet de for. comp. clement. Paſtoralis de re iudic. ergo etiam poteſtas temporalis poterit ſe intromittere de pertinentibus ad poteſtatem ſpiritualem. Hoc argumentum ita ipſe diſſoluit, cum poteſtas laica ſit minor ſpirituali, imò eius regimini ſpirituali ſubijciatur; poteſt quidem ſæpe poteſtas ſpritualis ſe ingerere in pertinentibus ad poteſtatem laicam, nunquam autem laica in pertinentibus ad ſpiritualem. Sic in propoſito poteſt Eccleſiaſtica poteſtas etiam ſuis legibus, cum de re Eccleſiaſtica agitur, coercere ſeculares, ſed è contrario poteſtas laica, etiam ſi de rebus laicorum agatur, non poteſt quicquam præſcribere Eccleſijs, vel perſonis Eccleſiaſticis. Et hac ratione reſpondetur etiam ad id, quod additur, Principem ſecularem alterius licentia ad legem condendam non egere, id enim verum eſt, ſi ſuæ poteſtatis cancellos non egrediatur, vt dictum eſt.

Decimononò. Nullam ea lege inuri notam Eccleſiaſticis perſonis, deducitur ex eo, quod Apoſtoli quoque bona immobilia vendebant, & pauperibus diſtribuebant. Apoſtoli prædia diſtribuebant volentes, & cur id facerent, & quare poſtea Eccleſia latius duxerit illa retinere, habetur in d. cap. futuram, & cap. videntes 12. quæſt. 1. Talem autem prohibitionem in dedecus Eccleſiaſticarum perſonarum vergere, ſatis probatur ex S. Ambroſij, & S. Hieronymi expoſtulationibus aduerſus legem Valentiniani.

Vigeſimò. Antonius Quirinus ſimilitudine probare conatur

natur validitatem prohibitionis. Si enim (inquit) Paterfamilias domeſticarum facultatum viribus perſpectis, ſumptus ita limitaret, vt fructuum illarum aliqua tantum portio in eleemoſynas impenderetur, nullam Eccleſiæ faceret iniuriã. Cur non idem affirmari debet de Principe ſeculari, qui eſt erga vniuerſos ſubditos ad inſtar Patrisfamilias? Reſpondetur, Patremfamilias id quidem poſſe iubere quoad bona, quæ ad ipſum pertinent pleno iure, vel ſaltem quoad vſumfructum. Quod ſi filiofamilias bona caſtrenſia, vel quaſi poſſidenti, quorum proprietas, & vſusfructus ad filium pertinet, iuxta l. cum oportet. C. de bon. quæ lib. vetaret filio, ne ex fructibus eorum bonorum aliquid Eccleſijs elargiretur, vel mandaret, ne certam portionem excederet largiendo, huic præcepto filius nequaquam obtemperare teneretur.

Vigeſimoprimò. Lex Falcidia & Trebellianica, quæ certam portionem ex legatis, & fideicommiſſis detrahi, ac inſtituto hæredi reſeruari mandant, non dicuntur propterea aduerſari libertati Eccleſiaſticæ; ergo nec lex de qua agimus. Reſpondetur, nec verum eſſe antecedens, nec ſi verum eſſet, rectè inferri ad legem hanc Reip. Antecedens minimè quidem verum eſt in ea parte, qua dicitur, legem Falcidiam & Trebellianicam minuere hæreditatem, vel legatum Eccleſiæ relictũ, vt de Falcidia text. eſt in §. ſi autem hæres, in Auth. de Eccleſ. tit. & in Auth. ſimiliter. C. ad legem Falcid. vt cum ita expreſsè definitum ſit à lege, mira videri poſſit Fratris Pauli affirmatio, dum ait: Si quis in hac fuerit ſententia, paucos habebit ſectatores. Imò quod valde confert veritati, quam tuemur, Falcidia de ijs legatis non modò non detrahitur immediatè, ſed nec etiam mediatè, vt ſi Sempronius hęres inſtitutus grauatus ſit legatum pręſtare Titio, Titius Eccleſiæ; nam etſi teſtator ſit laicus, & bona hæreditaria laicalia, & hæres inſtitutus, ac legatarius laicus, adeò vt & perſonæ, & bona legi ciuili ſubiaceant, tamen quia ex hac detractione ex legato Titij laici læderetur Eccleſia, cui ipſe poſtea legatũ eſt reſtituturus, lex Falcidia ceſſat, ne indirectè

inferatur Eccleſiæ detrimentum, Tiraq. qui innumeros auctores vno ore ita affirmantes congeſſit in tract. de priuil. piç cauſ. 26. priuil. verſ. & id quoque. Quod verò Trebellianica & ipſa non ſit deducenda, vbi Eccleſia fuerit hæres inſtituta, licet ſit iuris magis controuerſi, recepta eſt tamen Iuriſconſultorum ſententia, non eſſe deducendam, teſte Didaco in cap. Raynutius §. 3. num. 7. de teſtam. Verum licet cõcedatur, ex legatis, ac hæreditatibus Eccleſiæ relictis Falcidiam, & Trebellianicam detrahi poſſe, hinc non ſequitur ſupradictam Reip. legem obligare Eccleſiam, cum hæ leges inter ſe diuerſæ ſint, & ſeparatas habeant rationes. Lex Falcidia, & Trebellianica fauet etiam his, quibus legata ſoluenda, & hæreditas reſtituenda eſt, vt hæres ſcriptus eo illectus emolumento adeat hæreditatem, quam alias tanquam noxiam, vel certè inutilem eſſet repudiaturus, & ita fauet etiã Eccleſiæ hæredi inſtitutæ, vel legatariæ. At lex, de qua agimus, res immobiles Eccleſiæ commercio eximens, nulla in re Eccleſiæ prodeſt, eamq́. grauiſſimo afficit detrimento. Præterea ſi Falcidia, & Trebellianica detraherentur de legato, & hæreditate Eccleſiæ relictis, id parum obeſſet Eccleſiç, quia teſtator vbi vellet Eccleſiam integro legato, integrave hæreditate potiri, prohibere poſſet talem detractionem, vt de Falcid. eſt text. in §. ſi verò expreſſim, auth. de trient. & ſemiſ. quod etiam procedere in Trebellianica, crebrior eſt Iuriſconſultorum opinio, teſte eod. Didaco d. §. 3. num. 6. At in caſu legis Reipub. Dominus rei ſuæ, velit, nolit, commerciũ rerum ſtabilium cum Eccleſia non habet, nec illi vendere, nec ita, vt diu apud eam permaneat, donare, vel relinquere poteſt.

QVAR-

QVARTA PARS

DE IVDICIO SECVLARI IN PERSONAS ECCLESIASTICAS.

PRæter leges ſupradictas, cenſuris, & interdicto cauſam dedit Iudicium Reipublicæ criminale, quod in perſonas Eccleſiaſticas, videlicet Brandolinum Valdemerinũ Abbatem Nerueſæ, & Scipionem Saracinellum Canonicum Vicentinum inſtituit, ambobus in carcerem coniectis, in quo adhuc detinentur.

Quod Reip. non licuerit perſonas Eccleſiaſticas in carcerẽ detrudere, aut in eas ſibi aſſumere de criminibus cognoſcendi, aut ea vindicandi facultatem, ac propterea in cenſuras aduerſus Eccleſiaſticæ libertatis violatores conſtitutas inciderit, nequaquam eſt neceſſe probare, cum præmiſſæ, ac ſtabilitæ initio fuerint duæ concluſiones, quas idcirco nunc ſatis erit commemoraſſe. Altera, exemptionem perſonarum Eccleſiaſticarum eſſe de iure diuino. Altera etiamſi hæc receptiſſima concluſio in dubium reuocaretur, alteri neceſſario locum eſſe, vt Summus Pontifex pro commiſſo ſibi in ſpiritualibus pleniſſimo regimine, Eccleſiaſticas perſonas eximere potuerit à poteſtate laica, prout exemit.

Sed quia tunc aliquibus tantum obiectionibus aduerſus dictas duas concluſiones in medium allatas reſponſum fuit; nunc reliquis etiam ſigillatim reſpondebitur.

ADuerſus priorem concluſionem, Exemptionem Clericorum eſſe de iure diuino, ex obiectionibus, quæ diluendæ superſunt, illa in primis affertur. Ex his legibus Imperialibus, quæ habentur in Codice Theodoſiano, & Iuſtinianeo, ac in Nouellis, colligitur, hanc exemptionem à ſolis Imperatorum conceſſionibus deriuaſſe, & quidem minutatim, adeò vt ſemper amplior conſtituta ſit, ſed numquam tamen in tantum creuerit, inſpectis conceſſionibus Imperatorum,

torum, qui Venetæ Reip. præiudicare potuiſſent, vt prorſus abſorpta ſit ſumma poteſtas Reip. in eiuſmodi perſonas. Id autem hoc pacto probatur. Conſtantinus Magnus circa annum 315. in Codice Theodoſiano l. 2. C. de Epiſc. Eccl. & Cleric. exemit Eccleſiaſticas perſonas à muneribus perſonalibus, & curialibus. Conſtantius, & Conſtans eius filij exemptionem ampliarunt quoad munera ſordida, & cenſus, ſolisq. Epiſcopis l. 12. eod. tit. conceſſerunt exemptionem à iudicijs fori ſecularis, alias Eccleſiaſticarum cauſas, tam ciuiles, quam criminales eiſdem ſecularibus iudicijs cognoſcendas & definiendas relinquentes, & hac de re extat etiam lex Valentis, & Gratiani lata circa annum 380. quæ eſt lex 23. Cod. Theod. eod. tit. qua cauetur, vt iudicia criminalia in Clericos ad ſeculare tribunal pertineāt. Alia etiam eſt lex Arcadij, & Honorij lata circa annum 400. qua omnes Epiſcopi, & Clerici peregrini ad vitandum ſeditionis periculum Vrbe iubentur excedere, quæ habetur, eod. tit. l. 37. Præterea anno 420. vel circa, Honorius, & Theodoſius Secundus l. 41. eod. tit. & poſtea Theodoſius, & Valentinianus Tertius l. 47. eod. tit. iudicium Clericorum Epiſcopis conceſſerunt, ſi partes conſenſerint, ita vt altera diſſentiente, iudicium ad ſeculares magiſtratus pertineret, quod & confirmatum fuit à Martiano circa annum 460. & poſtea à Leone eius ſucceſſore. Tandemq. Iuſtinianus circa annum 560. in auth. de ſanctiſſ. Epiſc. varietatem ſuſtulit lege edita, qua cautū fuit, vt Clerici in ciuilibus ſubeſſent Epiſcopo, in criminalibus iudicibus ſecularibus, eaq. lex viguit vſque ad annum 630. quo Heraclius Clericos exemit à Magiſtratibus ſecularibus, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, ſalua tamen auctoritate delegatorum à Principe, quod obſeruatum fuit vſque ad diuiſionem Imperij, & poſt eam idem ſeruare perrexerunt Græci Imperatores, donec eorum Imperium perdurauit. In Occidente autem Franchi, & Saxones Imperatores, Italiq. Reges variè obſeruarunt, modo Clericorum iudicia Eccleſia-

cleſiaſticis tribunalibus relinquentes, modò illa etiam in ipſos Epiſcopos exercentes, modò partem ſibi tantum aliquam huius cognitionis aſſumentes, partem ad Eccleſiaſticos Iudices reijcientes, donec Federicus Secundus circa annum 1220. edidit Auth. ſtatuimus C. de ſacroſ. Eccl. qua Clericos tam in ciuilibus, quam criminalibus penitus exemit à poteſtate ſeculari. Quæ cum ita ſe habeant, colligit frater Paulus, ex hac conceſſionum varietate probari, exemptionem hanc non eſſe Iuris Diuini. Præterea conceſſionem Imperatorum nunquam obſtare Reip. quin poſſit in criminalibus perſonarum Eccleſiaſticarum cauſas cognoſcere, & in eas delicti cõpertas animaduertere. Cũ enim ipſa Reſp. mox à ſui origine, id eſt, ab anno 420. libera fuerit, & anno 800. Imperio Occidẽtali ab Orientali diuiſo inter Nicephorũ, & Carolũ Magnum libera relicta, ſuiſq́. legibus viuere permiſſa, vt legitur apud Blond. lib. 1. Decad. 2. & Sabell. rerũ Vener. lib. 2. poſt princip. in qua libertate vſque in hæc tempora perſeuerauit, conſequens eſt, vt lex Federici Venetæ Reip. iam tum per multa ſecula libertate potitæ nequaquam potuerit adimere ius, quod habebat in Clericos, iuxta alias leges Imperatorias cõditas ante; præſertim cum Federic. Imperator, qui authent. edidit, in Occidente regnarit, Veneti autem per diuiſionem Imperij potius adhæſerint Imperatori Orientis, quam Occidentis, vt earundem hiſtoriarum monumentis dignoſcitur.

Huic obiectioni, vt quam verè reſponſuri ſimus, legẽtibus pateat, cum cura ipſis perlegendæ ſunt omnes leges, quæ habentur in Cod. Theodoſiano tit. de Epiſc. Eccl. & Cler. Illis enim, quæ prætermiſſæ ſunt, vel in alium ſenſum acceptæ, ac relatæ hiſce ſcriptis tuentiũ partes Reip. euidenter apparet, Imperatores hanc exemptionem clericis quoad omnia competere voluiſſe, talibuſq́. vſos eſſe verbis, vt eam debitam putarint, atq́. potius tanquam altius procedentem detexerint, ac è tenebris eruerint, quam vti rem nouam conceſſerint. Ita Imperator Cõſtantinus in l. 2. d. tit. de Epiſc. & Cler. in Cod. Theodoſiano. Qui diuino (inquit) cultui miniſteriũ

re-

religionis impendunt,ab omnibus omninò muneribus excuſentur, ne ſacrilego liuore quorundam à diuinis obſequijs auocentur. In qua lege tria perpendenda ſunt. Primò quod iubet Clericos excuſari ab omnibus muneribus,non à publicis,perſonalibus,& curialibus tantum, vt contra dicitur. Secundò, quod ſacrilegum appellat liuorem contrarium contendentium, quo epitheto vſus non eſſet Conſtantinus,ſi ante exemptionem à ſe conceſſam ipſi non fuiſſent immunes. Tertiò,quod ratio eſt generalis, pertinens ad quâcunq. Clericorum exemptionem, & oſtēdens,ipſam exemptionem iuſtitiæ,non gratiæ debere ferri acceptam. Idem Conſtantinus in l.7.eod.tit.decernit, vt lectores diuinorum apicum,& hypodiaconi,& Clerici ad curiam deuocati abſoluantur, & de cætero minimè ad curias deuocētur,ſed immunitate pleniſſima potiantur. Hæc lex non diſtinguit,pleniſſimamq.vult eſſe immunitatem. Eandem legem immunitatis confirmant Conſtantius,& Conſtans, qui illi in Imperio ſucceſſerunt, dum l.13.eod.tit iuſſerunt omnia priuilegia Eccleſiæ,& Clericis conceſſa firmiter cuſtodiri. Eandem firmaſſe dicendi ſūt Arcad.& Honor.l.30. His verbis:Non nouum aliquid præſenti ſanctione præcipimus, quam illa,quæ olim videntur indulta,firmamus priuilegia. igitur quæ olim reuerentia religionis obtinuit, mutilari prohibemus, vt hi quoque,qui Eccleſiæ obtemperant, ijſdem, quibus Eccleſia, fruantur priuilegijs ;Item eam legem probaſſe,ac nouaſſe cenſentur Impp. Theodoſ. & Valentinian. dum lege 46. eod. tit. iubent priuilegia præteritarum legū Eccleſiæ,ſiue Clericis delata, ſeruari,& l.47.eod.tit. vbi habentur hæc verba: Priuilegia Eccleſiarum omnium,quæ ſeculo noſtro Tyrannus inuiderat, prona deuotione reuocamus, ſcilicet, vt quicquid à Diuis Principibus conſtitutum eſt, & quæ ſinguli quoq. Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrarāt, ſub pœna ſacrilegij,iugi ſolidata æternitate ſeruentur. Clericos etiam,quos indiſcretim ad ſeculares Iudices debere deduci, infauſtus præſumptor edixerat,Epiſcopali audientiæ reſeruamus.Fas enim nō

eſt,

eſt,vt Diuini muneris Miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio, &c.Ex qua lege duo notanda ſunt,alterum, quod Tyrannum appellat eum, qui Eccleſię exemptiones euertere contenderat; alterum, quod reddit rationem mirificè cõgruentem opinioni, vt exemptio ſit iuris Diuini,dum ait,fas non eſſe, vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. Si enim vim feciſſet in Imperatoria conceſſione,dixiſſet, iniquum eſſe, vt ſemel conceſſa Clericis exemptio reuocetur, vel decere priuilegiũ à Principe conceſſum manere,ac obſeruari. Sed quia reddit rationẽ propriam huius exemptionis, fas enim non eſt,&c.ſatis inſinuat,eam ſublimiorem habere originem, quam ex conceſſione Imperatoria.Leges igitur d.tit.ab Imperatoribus ante ortum Venetę Reip. conditę perſpicuè cõtinebant Clericorum exemptionem. Quibus legibus ſilentio prętermiſſis, aliquę tantum excerptę ſunt ab his, qui nouiſſimè ſcripſerunt, & in ſenſus valde alienos detortæ. Nam Conſtantinus generaliter exemptionem concedit ab omnibus muneribus d.l.2.non tantum à perſonalibus, publicis,& curialibus,vt ab ijſdem affirmatur. Conſtantius & Conſtans eius filij dum l.10.vetant a Clericis ſordida munera exigi, non ampliant exemptionem,cum ea iam vniuerſaliter conceſſa eſſet a Conſtantino in l.2. ſed exprimunt ſpeciem exemptionis iam comprehenſam in illa vniuerſali exemptione Conſtantini.ijdem Conſtantius & Conſtans in l. 12.prohibent quidem Epiſcopos accuſari apud Iudices publicos,ſed nihil decernunt quoad alios Eccleſiaſticos,vt remaneant ſub poteſtate ſecularis fori, tam in ciuilibus quã criminalibus,vt ab eiſdem affirmatur.Imò contrarium elicitur ex l. ſequenti, qua confirmantur omnia priuilegia Eccleſijs,& Clericis conceſſa.leges igitur huiuſmodi conſentientes ſunt veræ opinioni, exemptionem Clericorum eſſe iuris diuini.id autem Conſtantinus nõ ſatis habens lege ſanxiſſe, illuſtri etiam illa actione declarauit, quam Ruffin. lib. Eccleſiaſt. hiſt. 1. cap. 2. & D. Gregorius lib.4.epiſt.75. commemorant, & refert Gratianus in

cap.continua, & in cap. ſacerdotibus 11.q.1. & in cap. futuram 12.q.1.cum in Synodo Nicena oblatos ſibi contra Epiſcopos accuſationum libellos,Epiſcopis conuocatis,in ignem proiecit,dicens:Vobis dedit Deus poteſtatem iudicãdi nos, Vos verò ab hominibus iudicari non poteſtis, ſed Dei iudicio reſeruamini. Tantum autem Imperatorem de materia tam graui ad iuriſdictionem ſpectante,tanta deliberatione, in tam celebri nationum conuentu, Epiſcopiſq. omnibus accerſitis, hyperbolicè loquutum eſſe, a quo rerum æſtimatori nemo vnquam perſuadebit; præſertim cum verba, quæ protulit,exemptionẽ demonſtrantia tùm ſacræ Scripturæ auctoritate,tum re ipſa,id eſt,proiectis in ignem libellis, exploſaque accuſatione comprobarit.Nec eſt,quod dicamus,ſi verba Conſtantini propriè accipiantur,excludi etiam ſummum Pontificem,& Epiſcopos, quod eſſet abſurdum,quia reſpondetur,illis verbis excludi laicam,& ſecularem poteſtatem, vt Turrecrem. interpretatur in d. cap.continua,includi autem poteſtatem Eccleſiaſticam,cum dicitur,Dei iudicio reſeruamini.quia iudicium Eccleſiæ eſt Dei iudicium, & è contrario,iuxta illud:Qui vos audit,me audit. Iudicium autem Eccleſiæ eſt Iudicium Præſulum & Prælatorum, vt Chryſoſtomus notat in illa verba Matthæi: Dic Eccleſiæ, id eſt,Præſuli eius, & ex cap.nouit de iudic.ex gl.in cap. ſi peccauerit 2. q.1.ex D. Thom. Hug.de S. Victor. Alber.magn.& alijs,declarat Præpoſ.in cap.quoniam n.65. verſ.tertio vero.15.diſt. Verum eſto. Imperatores in obſeruanda Clericorum exemptione variarint, nõ variauit Sedes Apoſtolica, cuius in hac re facta magis ſpectanda ſunt, quam Principum ſecularium. Etenim iam inde ab initio militantis Eccleſiæ ad hæc uſque tempora, conſtanti, æquali, & perpetua obſeruatione hanc exemptionem ſibi aſſeruiſſe, decretalibus epiſtolis comprobaſſe,& aduerſus reſiſtentes enixè tutatam eſſe, ex locis infrãſcriptis, proprijs verbis relatis, ſatis clarè deprehenditur. Ex epiſtola 2.Anacleti 2.Papę,& Martyris, in qua habentur hæc verba:Nullus, vt reor, inuenitur inter nos, qui velit ſeruum

uum ſuum ab alio, quam à ſe iudicari. Si verò hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus? Et ex epiſtola 3. ibi, Rectores Eccleſiæ à Deo iudicandi ſunt, ſicut ait propheta: Deus ſtetit in Synagoga eorum, Deus autem dijudicat, vt ſic excludat Principes ſeculares, & ſolum Papam includat, qui Dei vices gerit in terris. Ex epiſtola Alexandri I. ad omnes Orthodoxos decretali 5. quæ habetur tom. 1. Conciliorũ col. 2. vbi conqueſtus, relatum eſſe ad Sedem Apoſtolicam, quoſdam ęmulos Chriſti, eiuſq́. ſanctæ Eccleſiæ inſidiatores, Sacerdotes Dei ad iudices publicos accuſare præſumpſiſſe, cũ magis Apoſtolus Chriſtianorum cauſas ad Eccleſiam deferri, ac terminari præcipiat, tales præuaricantes perpetua notatos infamia, & excommunicatos eſſe decernit. quam pænã non ſtatuiſſet, niſi talem exemptionem violantes contrauenirent iuri diuino, cum legibus Imperatorum, aut Pontificum nihil ad huc de ea ſtatutum eſſet, quod magis paulo inferius confirmat his verbis: Quod autem ad alios iudices prius non debeant, quam ad Sacerdotes, vel actores Eccleſiæ, accuſari, ita temporibus Apoſtolorum, & infra obſeruatum, & definitum inuenimus. Ex epiſtola Teleſphori Papæ, quæ modum iudicandi Sacerdotes, & contra eos accuſationem recipiendi præſcribit, ex epiſtola Stephani I. ad omnes Epiſcopos, quæ habetur tom. 1. conciliorum fol. 399. col. 2. vbi ita exorditur. Ne ea. quæ à Sanctis Prædeceſſoribus noſtris, & reliquis ſanctis Patribus dudum fuerunt prohibita, reuiuiſcant; ac deinde agens de accuſationibns Sacerdotum, formam accipiendi accuſationes, & teſtes, iudicijq́. inſtituendi, ac terminandi præſcribit. Ex Conc. Romano Pontifice Silueſtro I. cap. 16. quo ſtatuitur, vt ſi quis Clericus accuſans Clericnm curiam introierit, anathema ſuſcipiat, vtq́. nullus Clericus, aut Diaconus; aut presbyter propter quamlibet cauſam intret curiã, nec ante iudicem cinctum cauſam dicere præſumat. Poſt ea verò tempora Romanos Pontifices continenter idem iuris retinuiſſe, nouiſq́. ſanctionibus firmaſſe, conſtat ex contextibus Decreti, & Decretalium ſuperius adductis. Cum itaq́.

Sedes Apoſtolica per tot annorum ſeriem hanc exemptionē tanquam iure diuino ſibi competentem ſemper fouerit, & quantum in ſe fuit, vendicauerit, ac obſeruauerit, quid ei officeret, quod Imperatores ægrè, & pedetentim, deſcendiſſent ad hanc immunitatem proprijs legibus declarandam, ac recipiendam? Imò hinc, quanta ſit vis veritatis, non ambiguè cerneretur; cum Pontificibus hanc exemptionem diuino iure conceſſam in lucem proferre, & in vſum inducere contendentibus, euenerit, vt ſemper Imperatores aliquid de hoc iure, tanquam ad ſe non pertinente, remiſerint, exēptioni huiuſmodi magis, ac magis detulerint, tandemq. agnita veritate manus dederint, totiq. ac integræ exemptioni aſſenſi fuerint, ſicq. ab errore veterum legum, vt ait Bald. in d. Auth. ſtatuimus, ob veritatem, quæ mora inualeſcit, prorſus receſſerint. Sicut & cum Conſtantinus Primatum, ac præeminentiam Apoſtolicæ Sedis lege lata declarauit, quæ habetur in cap. Conſtantinus 96. diſt. non fuit lator nouæ legis, ſed diuinæ ordinationis promulgator, vel exequutor, vt declarat Præpoſ. in cap. quoniam nu. 70. 15. diſt. dicens, Marſilium de Padua, qui contrarium docebat, Extrauagante Ioannis 22. & Ioannem de Hus, qui eundem errorem poſtea reuocabat, Conſtantienſi Concilio fuiſſe cōdemnatos. Hæc autem ex abundanti dicta ſunt, cum probata concluſione, quod exemptio ſit iuris diuini, nihil Eccleſiæ obſtet, quod aliter legibus ſecularibus de facto ſtatutum eſſet, vt addubitarunt DD. in l. iubemus nullam. C. de ſacroſ. Eccleſ. dum notant, Imperatorem eo titulo de Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis ſtatuere de facto, vel alias, præſertim cum Eccleſia ſuum ius ſemper retinere contenderit, vt reuera retinuit. Verum cum ſupradictis legibus conſtet, Imperatorem Conſtantinum, Eccleſias, & Clericos lege lata exemptos eſſe, voluiſſe, etiamſi talis exemptio non manaret à iure diuino, nec Canonicis eſſet ſanctionibus conſtituta, prout etiam eſſe, diſertis verbis declarauit Tridentinum Cōcilium d. cap. 22. Seſſ. 25. tamen Veneti tenerentur legem Conſtan-

tini

tini obſeruare, cum tempore quo lata eſt, totam Italiam obtineret, omnesq́. domini temporales, qui poſtea diuerſas regiones Imperio ſubiectas occuparunt, ſeq́. in libertatem vendicarunt, dictæ conceſſioni ſtare teneantur, quamuis Iuſtinianus legibus ſuis variauerit; cum huiuſmodi priuilegia Eccleſiæ ſemel conceſſa irreuocabilia ſint, vt ſupra, cum de prohibita Eccleſiarum ædificatione ageremus, ex Canoniſtis deduximus, quibus nunc addimus Sotum in 4. Sententiarum diſt. 25. quæſt. 2. Victor. in releċt. 1. de poteſt. Eccleſiaſt. quæſt. vltima, dicentes, hanc exemptionem mutari, vel abrogari non poſſe à Regibus, & Principibus, etiamſi omnes ſimul in talem abrogationem conuenirent. Fruſtra igitur Veneti ſe ſubducunt à Conſtitutione Federici Secundi Imperatoris Occidentalis, cui ipſi nunquam paruerunt. Nam præterquam quòd hæc exemptio iure diuino, & Canonicis eſt ſanctionibus ſubnixa, iam ante Reip. natiuitatem, atque ante diuiſionem Imperij idem iuris erat conſtitutum à Conſtantino Magno, & à pleriſque Imperatoribus confirmatum, antequam in Imperio Iuſtinianus ſuccederet, vt ſupra oſtendimus, & inſinuat etiam Federicus Secundus in d. Auth. volens nullam Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione, vel ciuili trahendam eſſe ad ſeculare iudicium contra Conſtitutiones Imperiales, & Canonicas ſanctiones, quo loci manifeſtè præſupponit, quod ibi ipſe ſtatuit, Imperatorum legibus, & ſacris Canonibus iam prius fuiſſe conſtitutum.

Secunda eſt obiectio, etſi Imperatores exemerint perſonas Eccleſiaſticas à poteſtate magiſtratuum, nunquam tamẽ eam exemptionem conceſſerunt à ſuprema ſua poteſtate. Reſpondetur, iam ſuperius dictum fuiſſe, hanc exemptionem maiorem habere firmitatem, quam ſi ab Imperatorum conceſſionibus prouenirer, quia, ſcilicet, nititur iure diuino, & Canonicis ſanctionibus; ſed tamen etiam ſufficere, ſolis Imperatorijs legibus eſſe conſtitutam; quibus cum cautum ſit, vt Clerici pleniſſima exemptione potiantur, vt habetur in

dicta

dicta lege Conſtantini 7. conſtat, tam ea lege, quam alijs de exemptione loquentibus conceſſam eſſe libertatem à quacunque ſubiectione etiam ſupremi Principis concedentis; Præpoſ. in cap. deinde num. 5. poſt med. diſt. 25. Curt. iun. conſ. 188. num. 10. Crauet. conſ. 174. num. 12. ſicut etiam in ſimili explorati iuris eſt, Imperatorem donantem Eccleſię Romanæ ſummum, & maximum imperium à ſe abdicaſſe, & in Eccleſiam Romanam tranſtuliſſe cenſeri, cap. fundata, §. 1. & ibi DD. de elect. in 6. imò etiam cum donatur inferiori Eccleſiæ, idem iuris eſſe frequentius, traditum eſt, gl. in cap. ſolitæ in verbo ſuſcipiunt, vbi Innoc. de maior. & obed. Hoſtien. in cap. nimis, in verb. ab eis, de iureiur, Io. Monach. in cap. Romana. § debet, num. 14. in verb. temporalibus, de appellat. Iſern. in cap. 1. qualit. vaſall. fidelit. iurar. deb. Guiliel. de Bened. in cap. Raynutius, in verb. & vxorem nomine Adelaſiam 2. deciſ. num. 24. de teſtam. Afflict. deciſ. 361. Bertran. conſ. 331. num. 56. lib. 2. & receptiorem eſſe ſententiam, teſtatur Couar. diuerſum ſentiens, pract. quæſt. cap. 4. num. 2.

Tertiò obijcitur, ita eſt connexa cum Principatu facultas puniendi, vt ab eo diuelli non poſſit. & ſicut Papa eximit quem vult ab auctoritate Epiſcoporum, & aliorum Ordinariorum, à ſua tamen poteſtate neminem eximere poteſt, niſi ſimul deſinat eſſe Pontifex; ita Princeps ſecularis non poteſt aliquem in ſuo dominio habere in temporalibus, & alijs bonum publicum concernentibus ſibi non ſubditum, niſi deſinat eſſe Princeps. hæc ratio iuriſdictiones à Deo diſtinctas confundit, & iam exploſa eſt duabus ſuprapoſitis concluſionibus, altera, ſcilicet; hanc exemptionem eſſe iuris diuini; altera Sedem Apoſtolicam etiam in temporalibus potuiſſe illam concedere. Nec argui in hac re poteſt à Summo Pontifice ad Principem ſecularem. Nam Summus Pontifex non poteſt alicui priuilegium concedere, vt in ſpiritualibus non ſit ſibi ſubiectus, cum quantum ad ſpiritualia nemo poſſit eſſe acephalus, cap. nulla 90. diſtinct. ita docue-

runt

runt Io. Andr. in cap. cum inſtantia de cenſ. Marian. in cap. recepimus in 3. col. de priuil. Felin. in cap. cum non liceat num. 14. de præſcript. ſecus autem eſt quoad temporalia, nam Pontifex poſſet laico ſibi in temporalibus ſubdito concedere, vt quoad temporalia coram ſe conueniri non poſſet, idemq́. procedit in Imperatore, qui & ipſe poteſt ſibi ſubdito tribuere priuilegium, vt ſolum coram iudice Eccleſiaſtico poſſit conueniri, vt declarant Marian. & Felin. loco ſupra citato. Anton. Sicul. in tract. de poteſt. reg. quæſt. 88. circa med. & probat text. in cap. quicunque 11. quæſt. 1. & ratio diuerſitatis multiplex eſt; quia cum Papa vices Dei gerat in terris cap. 2. de translat. Prælat. ſi aliquem eximeret à ſua poteſtate, videretur eximere à poteſtate Dei, hinc iura Canonica dicunt, qui non agnoſcit Papam ſuperiorem, non agnoſcit Chriſtum pro capite 1. quæſt. 1. cap. in Eccleſia 24. quæſt. 1. cap. quicquam, præterea nemo poteſt facere, vt Papa habeat minorem poteſtatem, quam ſibi fuerit à Chriſto tradita, & ſi quis eximeretur à poteſtate Papæ, non eſſet de ouibus Chriſti, cum non agnoſceret eius Vicarium ſuper omnibus Mundi Principibus. Quæ rationes adductæ à Reſtauro Caſtald. d. q. 50. num. 32. non vigent in Imperatore, & alijs Principibus ſecularibus. Qua de cauſa conueniunt omnes, non valere præſcriptionem aduerſus ſummam poteſtatem Papæ, iuxta Extrauag. Bonifacij, quæ incipit: Vnam ſanctam: at verò præſcribi poſſe, vt quis non ſubſit Imperio, poſt Paul. de Eleaz. reſpondit Alex. conſ. 11. num. 10. vol. 7. & alij plurimi relati à Reſtauro Caſtaldo d. tract. de Imperatore q. 54. nu. 6. & ſeqq.

Quartò obijcitur: Has Clericorum exemptiones in varijs regnis, & dominijs variè obſeruari, vt præcipuè legitur apud Clarum §. fin. q. 36. quod (inquiunt) indiſſolubile eſt argumẽtum, eas non eſſe iuris diuini, quod eſt inuariabile. Additur etiam Conſtitutiones Pontificias de hac exemptione editas, non eſſe eodẽ modo vbiq́. acceptas, & præcipuè in Veneto dominio, in quo Reſp. leuiora Eccleſiaſticorum delicta

ludi-

Iudicibus Eccleſiaſticis reliquit cognoſcenda, & punienda, grauiora autem ſibi reſeruauit, quod & ſemper fecerunt alij Principes in crimine læſæ maieſtatis. Reſpondetur tam ex lectione Clari, quam omnium aliorum auctorum, qui de criminibus ſcripſerunt, optimè dignoſci, exemptiones Clericorum eſſe in omnibus regnis Catholicis in viridi obſeruantia. Nam varietas caſuum, quos Clarus examinat, eò ſpectat, vt definiantur multæ controuerſiæ, quæ in hac materia inter Eccleſiaſticam, & ſecularē poteſtatē ſubeſſe poſſunt, quamuis exemptio ipſa plenè obſeruetur. Cum enim Summus Pontifex poſsit ius diuinum ex cauſa interpretari, & declarare, Felin. in cap. Quæ in Eccleſiarum n. 19. de conſtit. & alibi ſæpe DD. Bonifac. 8. cap. vnic. de cleric. coniug. in 6. declarauit, Clericos coniugatos non potiri fori priuilegio, niſi cum vnica, & virgine contraxerint, tonſuramq́. & veſtes deferant Clericales. Gregor. 10. in generali Concilio Lugdunenſi declarauit, Clericos bigamos etiam interpretatiua, vel propria bigamia foro ſeculari ſubiacere, vt habetur in cap. 1. de bigam. in 6. Aliæ etiam declarationes habentur quoad reconuentionem, & alios caſus, in quibus ſine læſione priuilegij Clericus ſortitur forum ſeculare, de quibus latè per Aufrer. toto tract. de poteſt. ſecular. ſuper Eccleſiaſt. Variæ igitur quæſtiones à Claro examinatæ in hac materia, omnes tendunt ad declarationem caſuum, in quibus ſæpè controuerſiæ exoriuntur, non quia poteſtas laica non deferat Clericorum exemptioni, aut illam plenè non recipiat, ſed quia ex præſcripto ſacrorum Canonum prętendit in eis caſibus exemptioni locum non eſſe, vtputa, An Clericus citatus ob delictum coram iudice ſeculari, teneatur coram eo comparere, An poſſit reconueniri coram laico, An reſumptio tonſuræ dimiſſæ a clerico coniugato illi proſit quoad priuilegium, & aliæ ſimiles: ita vt non modo ex Claro nihil colligatur aduerſus huiuſmodi opinionem, ſed potius inde conſtet, veram eſſe, atque in praxi apud ſeculares iudices vſu receptam. Imò generaliter verum eſſe, vt clericorum exemptio etiam quoad

coniu-

coniugatos obſeruaretur, inde conſtat, quod Io. Andr. in cap. vnic. de Clericis coniug. in 6. quo reſtringitur fori priuilegiũ quoad Clericos coniugatos, ait eam Conſtitutionem editam eſſe ob querimonias Principum ſecularium, qui ſi conquerebantur Clericos, coniugatos exemptione gaudere, credere par eſt, eam multo magis in non coniugatis adamuſſim ab ipſis fuiſſe obſeruatam, alioquin cum Sede Apoſtolica de exẽptione coniugatorũ nõ expoſtulaſſent. Apud Gallos quoque idẽ conſtat ex Rebuffo, & Guil. de Bened. In locis ſup. citatis, & ex deciſione Capellæ Tholoſanæ 227. & 252. & ex deciſ. Guid. Pap. q. 73. vbi ait, Clericum poſſe capi mandato Iudicis ſecularis, ſi in flagranti crimine depræhendatur, & in carcerem conijci, dũmodo eum ſtatim reijciat ad Iudicem Eccleſiaſticum, timore ſanctionis cap. nuper de ſent. excom. & ita (inquit) ſe habet ſtilus, & communis obſeruantia omnium Curiarum patriæ Delphinatus. Quin etiam Clericum coniugatum in Gallijs, concurrentibus requiſitis, gaudere fori priuilegio, teſtis eſt Rebuf. d. rubr. de protect. concord. verſ. & ideò, vbi ait, talem Clericum, qui ab officiali, hoc eſt Vicario Epiſcopi eum citãte ratione delicti ad Senatum appellauerat tanquam ab abuſu, ab ipſo Senatu remiſſum eſſe ad officialem die 3. Decembris anni 1537. Quod ſi Rex Galliæ in aliquibus caſibus de delictis Clericorum cognoſcit, vt puta de delatione armorum, de fractione ſaluæguardiæ, de iniuria ab eis illata officialibus regijs, de vſurpatione iuriſdictionis regiæ, id facit ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ. Ripa in cap. 2. de iudic. n. 73. Aufret. in Clem. 1. de. offic. ordin. in 1. reg. in 13. fallentia. Guil. de Bened. d. verb. & Vxorẽ nomine Adelaſiam deciſ. 2. n. 147. cum ſeqq Imò hæc exemptio Clericorum tam exactè cuſtodita fuit olim in Gallijs, vt etiam Clerici bigami fori priuilegio fruerẽtur, quam conſuetudinem Greg. X. in d. Conc. Lugdunenſi ſuſtulit, eoſq́. foro ſeculari ſubiacere, declarauit, non obſtante conſuetudine, de qua teſtatur gl. in d. cap. vnico de bigam. in 6. in verb. conſuetudine. Idem uſus habetur in regno Neapolitano, ex plurimis Afflicti, Capicij, Grammatici deciſionibus, & ex tra-

ditis per Proſper.Carauit.ſuper ritib. regn. Neapolitani rit. 66.per tot.& in regno Hiſpaniarum ex Pet.Bellug.in ſpecul. Princ.rubr.11.§.videamus,ex Gomez.l.var.reſ.3.cap.10.tit. quãdo reus gau.immun.Eccl.n.4.& ex Didaco Practic.quęſt. cap.31.per tot.Imò olim Patauij iudicatum fuiſſe, Clericum coniugatũ, qui ſemel habitũ depoſuerat,& poſtea illũ reſumpſerat,gaudere priuilegio fori,teſtatur Io.Andr.in cap.Ioannes col.4.de Cleric.coniugat. Vnde colligitur,exemptionem hanc etiã in illis regionibus ad Venetos pertinẽtibus, quoad cõiugatos adunguẽ obſeruari cõſueuiſſe,quod etiã dignoſcitur ex conſ.Alex.143.vol.6.quo reſpondit,Clericũ coniugatum, qui cũ deliquit, incedebat in habitu, & tonſura,licet eã aliquãdo ante delictũ depoſuiſſet, gaudere fori priuilegio, & de hac exceptione,& delatione tõſurę,& habitus cognoſcere debere Iudicem Eccleſiaſticũ, interimq́. Magnificum Prætorem Patauij,cuius curia in eum inquiſierat debere ſuperſedere cognitione criminis,ibiq. Alex.n.5.refert Iudicem Eccleſiaſticum, recepta ſummaria fide ad ſui inſtructionem de Clericatu,& de inceſſu in habitu, & tonſura, & de virgine in vxorem ducta, inhibuiſſe Iudici ſeculari, ne interim contra reum procederet.Ex quo apparet,Iudices Eccleſiaſticos ſuã in Clericos iuriſdictionem etiam tempore Reip.in illa Ciuitate retinuiſſe, etiam quoad Clericos minorum ordinum coniugatos,etiam in delictis atrociſſimis,vt eſt homicidium, de quo is reus erat inquiſitus, vt initio d.conſ. videre eſt. Id ipſum colligitur ex litteris in forma Breuis Gregorij xij.Papæ Veneti,datis ad Epiſcopum Polenſem 4 Non. Iulij Pont. ſui anno primo.vbi præmittuntur hæc verba: Ad audientiam noſtram peruenit,quod nonnulli malefactores reperti in Venetijs Caſtellanæ Diœceſis propter eorum ſodomitica delicta,& alia enormia crimina,& exceſſus,quibus publicè diffamantur,carceribus dilecti filij Michaelis Steno Ducis Venetiarum mancipati ſunt. Et licet ipſi habitus,& tonſuras Clericales antequam caperentur, minimè detuliſſent,ne tamen in foro ſeculari ſuper præmiſſis via iuſtitiæ contra ipſos procedatur, ſe Clericos fore aſſerunt. propter quòd idem Dux

maleſactores ipſos, prout iuſtitia exigit, ob reuerentiam ordinis Clericalis condemnare, & punire diſtulit. Hac narratione præmiſſa, Gregorius, ne vlterius iuſtitia differatur, cõmittit Epiſcopo Polenſi vt eos, quos compererit charactere Clericali inſignitos eſſe, huiuſmodiq́. crimina patraſſe, etiã ſi Epiſcopus Caſtellanus loci ordinarius contra illos procedere cœpiſſet, corrigat, & puniat; iuſtitiamq́. quoad prædicta adminiſtret, iuxta Canonicas ſanctiones. Idem repetit alijs literis itidem in forma Breuis ad eundem Polenſẽ Epiſcopum datis x. Kal. Aprilis ſui Pont. anno 2. vbi, cum audiſſet Pontifex, eiuſmodi reos ad Sedem Apoſtolicam prouocaſſe, & cauſam certo Iudici committi obtinuiſſe, dicto Epiſcopo mandat, vt commiſſione tali non obſtante, ne cauſa huiuſmodi protrahatur, iuxta priorum literarum tenorem aduerſus prædictos Clericos procedat, & vbi deliquiſſe compererit, corrigat, puniat, & iuſtitiam miniſtret, iuxta Canonicas ſanctiones. Ex his literis conuincitur, rem aliter ſe habere, quàm hiſce nouiſſimis ſcriptis frater Paulus, alijsq́. aſſeuerarunt, Rempublicam Venetam à ſui ortu in hæc vſque tempora cognitionem grauium delictorum ab Eccleſiaſticis commiſſorum, ſibi ſemper retinuiſſe, leuiorum verò Eccleſiaſticis Tribunalibus reliquiſſe; ſiquidem ex ipſis literis liquet, ipſam Rempublicam, quæ anno 442. iuxta fratris Pauli, & Senatoris Quirini computationem, vel anno 456. vt alij autumant. initium habuit, mille poſt annos, qui ab eo tempore vſq́. ad annum 1407. quo Gregorius xij. fuit Pontifex renunciatus, interceſſerunt, Clericorum criminales cauſas Iudicibus Eccleſiaſticis reliquiſſe, nõ ſibi vendicaſſe. Eæ autem cauſæ erant atrociſſimorum, ſi qua alia, delictorũ. Rei erant ſimplices Clerici, nec in ſacris conſtituti, nec beneficia obtinentes. Imò quod notabile eſt, nec conſtabat, an ipſi eſſent Clerici, vt conijcitur inde, quod Pontifex dictis literis iubet Epiſcopo, vt ita demum eos corrigat; & puniat, ſi cõpererit, eſſe Clericali charactere inſignitos, atque crimina, quorum inſimulabãtur, admiſiſſe. Et tamen cum audiſſet

Dux,& Senatus Venetus,reos prædictos ſe Clericos eſſe profiteri,quamuis id forte minus veriſimile eſſet, quod ante delictum nec tonſuram,nec veſtes Clericales geſtaſſent,& cauſa, cur id comminiſcerentur, ſubeſſet, vt ſcilicet imminens ſibi à ſecularibus Iudicibus diſcrimen vitarent, cognitione cauſæ,cœptoq. iudicio ſuperſedit.abſtinuitq. ob reuerentiã, vt ait Gregorius, Ordinis Clericalis. Videant nunc Veneti Senatores qui ex veteri, ac per manus tradita diſciplina Reipublicę egregia Maiorum ſuorum facta ſibi proponere conſueuerunt imitanda, quantum interſit inter Maiorum ſuorum pietatẽ,& moderationem, atq. eorum præſentẽ contumaciã.ediſcantq.qui ſpecioſis titulis propriam potentiam quærentes obedientiæ erga Sed. Ap.libertatis nomen obtrudunt,neq. imminui Chriſtianorum Principum libertatem, neq. iuribus ſummi Imperij aliquid detrahi,cum iura Ordinis Eccleſiaſtici, ac Sedis Apoſtolicæ illibata, ac ſarta tecta ſeruantur. Nam ſi hæc iura libertati derogarent,eius temporis Senatores libertatis defenſores acerrimi, ſe nullo pacto faciles præbuiſſent ad remiſſionem cauſæ,vti præbuerunt, & Reſp. cum eorum criminum abſtinuit cognitione,libera non fuiſſet. Quod tamen nec Veneti ipſi vnquam faterentur,nec admitteret Sed.Apoſt. cui quoad tẽporalia nullius Chriſtianæ Reip. Chriſtianive Principatus eſt inuiſa libertas. Itaque ex dictis literis plenè habetur,illa tempeſtate,quaſi poſſeſſio Sedis Apoſt.quoad iudicia criminalia in perſonas Eccleſiaſticas delinquẽtes. Quod & mirificè cõprobatur ex alijs literis eiuſdẽ Gregorij ad Epiſcopũ Caſtellanũ datis 15.Kal. Iunij anno 1. in quibus cũ enunciaſſet,ſe in inſigni loco Venetiarũ Caſtellanæ Diœceſis Originis ſuæ, in quo etiam Pontificali dignitate reſedit,experientia cognouiſſe,quamplures ſe non gerentes pro Clericis,& abſque habitu, & tonſura Clericali incedentes,fretos Clericali priuilegio, forum ſeculare apud quod accuſabantur,variè declinare,decreuit, vt ſi quis Clericus ſacris nedum initiatus tempore criminis,ſpatio vnius menſis tonſura, & habitu Clericali vſus nõ eſſet, & qui poſt

crimen

crimen ſe prima tonſura feciſſet initiari, & eam ſemper poſtea non detuliſſet, priuilegio Clericali ipſo facto priuatus, & foro ſeculari ſubiectus eſſet. Quæ Pontificis verba fori Eccleſiaſtici quaſi poſſeſſionem in Ciuitate Venetiarum, ex qua Pontifex erat oriundus, & in qua ipſe Pontificali dignitate reſederat, pleniſſimè probant Clem. 1. cum ibi not. de probat. Nouiſſimis autem temporibus etiam in dominio Veneto ſeruatam eſſe hanc exemptionem, locupletiſſimus eſt teſtis Tiberius Decianus Iuriſconſultus Vtinenſis, Reip. Venetæ ſubditus, & in illis regionibus verſatus, quippe in publica Patauij Vniuerſitate ab eadem Rep. ſtipendio conductus, ius Ciuile docebat. Is (inquam) in tract. crimin. lib. 4. cap. 9. num. 68. ait ſe bis vidiſſe etiam in homicidijs ex propoſito Illuſtriſſimum dominium Venetum impetraſſe à Summo Pontifice licentiam procedendi contra Clericum aſſiſtẽte Ordinario Eccleſiaſtico. Quod ſi in Italia alicubi obſeruabatur ante Concilium, vt Clerici minorum ordinum punirentur à Iudice laico, id eueniebat ex ea opinione, quod Clerici Clericaliter non viuentes amitterent priuilegium fori, de qua per Couar. d. quæſt. 31. prope fin. Poſt Concilium verò obſeruatur Decretum cap. 6. Seſſ. 23. quod editum fuit Regibus inſtantibus, teſte Nauar. tit. de priuil. conſ. 24. nu. 3. vt priuilegio fori non gaudeant, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeant, vel Clericalem habitum, & tonſuram deferentes alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruiant. Quo decreto Concilium declarauit ius diuinum, vt ſcilicet exemptio fori Clericis eo iure competens, in illis duntaxat ſibi locum vendicet, qui quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos verſantes ſe verè Clericos oſtendunt, quod dignoſcitur ex concurſu qualitatum à Concilio prouidè requiſitarum. Sicut autem exemptio prædicta obſeruata, & recepta eſt quoad alia delicta, ita etiam obſeruatum fuiſſe quoad crimen læſæ maieſtatis, vt Clericus à Principe laico non puniatur, niſi ab eo feudum obtineat, iuxta opin. Bart. in Extrauag. ad reprimendum, verſ. condictionibus, patet atteſta-

tione eiuſdem Bart. qui ſubdit, Henricum eius Extrauagantis conditorem, quoſdam Epiſcopos, qui ab eo deſciuerant, feudis priuaſſe. & Synodo Toletana tertia, celebrata anno 693. rege Flauio Egica, quæ Sisbertum Toletan. Epiſcopum loco, & honore deiecit, ac omnibus bonis priuauit, ac in exilium perpetuum damnauit, eiusq́. bona Regi addixit, quia in Regis vitam cum alijs conſpirauerat, vt teſtatum fecit Diaz in pract. crimin. can. quæſt. 110. idemq́. mos in Regno Neapolitano apparet ex deciſ. Grammat. 29. vbi num. 12. ait: Nullum Principem etiam Imperatorem, poſſe condere legẽ, vt Clericus ob crimen læſæ maieſtatis puniatur à Principe ſeculari.

Quintò arguitur: Poteſt Summus Pontifex concedere iudici laico priuilegium, vt de cauſis Clericorum cognoſcat; ergo hæc exemptio uon eſt iuris diuini. Conſequentia probatur hoc pacto, ſi iure diuino prohiberentur ſeculares exercere iudicium in Eccleſiaſticos, non poſſent etiam ex permiſſione Papæ illud exercere, ſicut non poteſt Summus Pontifex concedere laicis poteſtatem audiendi Confeſſiones, & Miſſas celebrandi, quia hoc eſt iure diuino prohibitum. Huius argumenti negatur conſequens. Nam Papa ideo poteſt priuilegium concedere Principi laico, vt in aliquibus caſibus puniat Clericos, quia in illis Princeps laicus cenſetur tunc Papæ delegatus, gl. in cap. laicis 16. quæſt. 7. Cardin in d. cap. perpendimus num. 6. in fin. & 7. Felin. in cap. 2. de maiorit. & obed. num. 3. & 4. Stephan. Aufrer. in repetit. cap. 1. de off. ord. quæſt. 4. num. 6. Qui autem mandatam iuriſdictionem exercet, non ſua, ſed eius, qui mandauit, iuriſdictione vtitur, l. 1. §. qui mandatum. ff. de off. eius, cui mand. eſt iuriſd. Quo fit, vt huiuſmodi iuriſdictio laicis Sedis Apoſtolicæ priuilegio tributa in Clericos, nec eorum exemptioni, nec iuri diuino illam inducenti aduerſetur. Ius autem audiendi Confeſſiones, & Miſſas celebrandi, quæ Ordinis ſunt, & abſque Ordine ab aliquo exerceri non poſſunt, laico non poteſt à Papa concedi, quia neceſſarius eſt Ordo, & laicus, Ordi-

Ordine aſſumpto, laicus amplius non eſt. Verum ab hoc iure non rectè arguitur ad ius cognoſcendi cauſas Clericorum, quod cum ſit iuriſdictionis, poteſt à Summo Pontifice mandari laico, ſicut poteſt excommunicandi poteſtas etiam fœminis. Nauar. de ſent.excom. conſ.73. Hæc rectè diſtinguit, & rationem diuerſitatis adducit Henric. in cap. decernimus, de iudic.

Sextò, affertur eiuſdem Summi Pontificis exemplum, qui in temporali ſua ditione ita ſeruare conſueuit, vt Clerici ſeculares, & regulares delinquentes, non ab Epiſcopis, vel alijs ſuperioribus Eccleſiaſticis, ſed à gubernatoribus, & alijs magiſtratibus laicis puniantur. propter quod in laicis carceribus Turris Nonæ, ac alijs ſimilibus magna ſæpè ſpectatur copia presbyterorum ſecularium & regularium, nonnulliq́. ex eis tempore Sixti V. & Clementis Octaui, etiam abſque degradatione cum habitu regulari, fuere laqueo ſuſpenſi.

Hæc quantum à veritate aliena ſint, nemo in curia Romana, & in ſtatu Eccleſiaſtico mediocriter verſatus ignorat. Nam cauſæ Clericorum ſecularium, & regularium, vel à ſuis Ordinarijs cognoſcuntur, vel ſi ipſi ſuſpecti ſint, aut alia de cauſa, non expediat, eas ab Ordinarijs cognoſci, à Vicario Vrbis, ſiue ab Auditore Cameræ, ſiue ab eius locum tenentibus, qui Clerici ſunt, ac uti tales in eo munere adhibentur, aſſumi, & definiri conſueuerunt. In prouincijs vero a Legatis, qui ſunt Cardinales, & ab eorum Auditoribus, & locum tenentibus Clericis. Imò in ſacra Conſulta cum detegitur Gubernatorem aliquem, vel alium ſecularem Magiſtratum Clericorum cauſas cognouiſſe, vel alio pacto Eccleſiaſticam libertatem violaſſe, in eum animaduertitur, ſæpiusq́. ab Epiſcopo etiam loci, hac de cauſa Gubernatores excommunicati ſunt, nedum non impediente, ſed probante ſacra Conſulta. In carceribus verò prædictis rarò Clerici ſeculares vel regulares viſuntur, ſed ſi quādo ibi detenti fuerint, quid intereſt, ipſos in ijs carceribus haberi, cum cauſa cognoſcatur in tribunali Eccleſiaſtico? etiam in ijs regionibus, quæ

Prin-

Principibus laicis in temporalibus ſubſunt, conſueuerunt Epiſcopi, qui carceribus carent, nec eos ob redituum tenuitatem exædificare poſſunt, Clericos reos in ſecularium carceres trudere, nulla tamen laico magiſtratui in illos poteſtate permiſſa. Regulares autem aliquos abſque degradatione Romæ vltimo ſupplicio affectos nunquam audiui, imò contrarium paſſim obſeruari norunt omnes, extantq́ publica in tribunalibus acta harum degradationum.

Septimò: Pœnæ (inquiunt) ſtatutæ ſunt in criminoſos, nedum vt ipſi ad bonam frugem redeant, ſed etiam vt exemplo pœnæ alij à facinoribus detereantur, atque vt parti læſæ ſatisfiat. l. capitalium. §. famoſas. ff. de pœn. cum. ſimil. licet autem quoad correctionem Eccleſiaſticorum delinquentium, Princeps ſecularis poſſet hanc curam negligere, ac ſuperiori Eccleſiaſtico relinquere, neceſſe tamen habet eos pœna afficere propter alias duas rationes, ne laici eorum exemplo improbiores fiant, & ne, qui iniuriam acceperunt, nullum ex vindicta ſolatium accipientes, vlciſcendæ ſua manu iniuriæ animum adijciant, atque ita Remp. perturbent. Nam Eccleſiaſtici pœna mortis, iuxta ſacros Canones, non afficiunt delinquentes, præterquam in tribus caſibus, in quibus eorum intereſt illos pœna mortis mulctari, videlicet, hæreſis, falſitatis commiſſæ in diplomata Apoſtolica, & conſpirationis in proprium Epiſcopum. In alijs autem atrociſſimum licet ſit delictum, nulla eſt grauior in eos pœna conſtituta, quam detruſionis in carceres, vel exilium perpetuum., quæ tamen ſæpè paruo interiecto tempore, vbi emendationis, ac pœnitētiæ ſigna conſpiciuntur, remitti conſueuit. Huic obiectioni primo reſpondetur ex his, quæ ſuperius iam dicta ſunt, cauſam quantumuis publicam, & grauem non tribuere iuriſdictionem non habenti. Id autem procedit, ſiue agatur de lege condenda, ſiue de iudicio exercendo, cum par ratio vigeat in vtroque. Et in ſpecie quod Iudex laicus non poſſit, nec debeat ſupplere negligentiam Iudicis Eccleſiaſtici aduerſus Clericos à laicis impetitos, declarauit Innocentius Tertius

in cap. qualiter,& quando, de iudic. & tradit Alex. conſ. 8. num. 1. in 1. vol. Et ratio eſt, quam in d.cap. Goffre. Hoſtien. Ioan. Andr. Ant. & Henricus reddiderunt, quia naturale eſt, vt maior minoris, non autem minor maioris ſuppleat negligentiam tot.tit.de ſuppl. neglig. Prælat. Clerici autem ſunt laicis maiores. cap.ſolitæ, cum ibi notat. de maiorit. & obed. Ac propterea Archid. in cap.filijs,& nepotibus 16.quæſt.7. vbi text. monet, negligente Metropolitano Regem eſſe adeundum, exponit, adeundum eſſe, vt Rex admoneat & inſtet coram ſuperiore, ac adiuuet, non autem vt ipſe iudicet, vt etiam ſentit Ant.de Butr. in d. cap. qualiter, & quando. Secundò reſpondetur, etſi verum eſſet, pœnam mortis tribus tãtum caſibus ſupra expreſſis de iure Canonico irrogari poſſe delinquenti, aliæ tamen grauiſſimæ non deſunt, quas Iudices Eccleſiaſtici paſſim, vbi culpa id expoſcit, infligere conſueuerunt, vt eſt pœna triremium, ad quas ſæpè à iudicibus Eccleſiaſticis damnantur, qui atrocia delicta perpetrarũt. Nec eſt, quod vniuerſum ius Canonicum mollitiei arguatur, quia in pauciſſimis caſibus pœnam mortis ſtatuerit. Nam hac in re potius laicis eſſet iuris Canonici lenitas imitanda, quam Eccleſiæ nimia ſeueritas legum ciuilium aſſumenda. ad cuius rei veritatem duos ſufficiat attuliſſe auctores, videlicet Senecã, & Alciat. Senec. lib. 1. de clementia ad Neronẽ: Ciuitatem (inquit) magis corrigit parcitas animaduerſionum, & alibi, cum docuiſſet, diuturniora Imperia ſemper fuiſſe apud mitiores nationes, ſubdit, in hoc gloriari poſſumus, nulli generi hominum mitiores placuiſſe pœnas. Alciatus autem inſignis eruditionis Iuriſconſultus in l. licet, de verbor. ſignif. relata lege Porcia, quæ in ciuem Romanum nullam pœnam exilio maiorem delicto, quantumcunq. magno ſtatuerat, conqueritur, hodie in pœnis meram carnificinam exerceri, legibusq́. municipalibus ſtrangulari, decollari, mutilari reos, qui ſi in opus publicum damnarentur, & perpetuam pœnam ſubirent, nec minori cæteris exemplo eſſent, & publicè vtilitatem aliquam afferrent, concluditq́. vt.

in pleriſque alijs, ſic in hac quoque parte ab antiquis recentiores Legumlatores ſuperari. Quæ idcirco dixiſſe volui, vt ius Canonicum à calumnia vindicarem, ſimulq; oſtenderem, hanc pœnarum, quibus ius Canonicum vtitur, moderationẽ præclaris auctoribus etiam quoad Politicum regimen magis placuiſſe, quam frequentiam pœnarum capitalium. Qua occaſione illud non videtur prætermittendum, valde cauendum eſſe vniuerſum ius Canonicum, ac Pontificias Conſtitutiones, quaſi improuidas, vel molles accuſantibus, ne in maius etiam, quàm violatæ Eccleſiaſticæ libertatis crimen incurrant, nam in materia non ſolum Fidei, ſed etiam morũ hoc periculoſum eſſe poſt Alfonſ. de Caſtro lib. 1. cap. 5. contra omnes hæreſes, monuit. Nauar. in tract. de redit. Eccleſiaſt. quæſt. 1. monit. 40. num. 2.

Tertiò, reſpondetur nedum in tribus caſibus ſuperius expreſsis ſtatutum eſſe, vt delinquentes curiæ ſeculari tradantur capite plectendi, ſed etiam in alijs caſibus, nempe in crimine aſſaſſinij ab Innocentio Quarto in generali Concilio Lugdunenſi, Conſtitutione quæ habetur in cap. 1. de homicid. volunt. vel caſual. in 6. & in alio crimine à Pio V. Conſtitutione 72. Pręterea quotieſcunque Clericus eſt incorrigibilis poſt trinam monitionẽ fori priuilegium amittit DD. in cap. perpendimus de ſent, excomm. Imò non deſunt, qui ſentiant, commiſſo aliquo graui delicto à Clerico incorrigibili etiam non monito fori priuilegium amitti, qui copioſè referuntur à Claro d. §. fin. quęſt. 36. verſ. quęro modo. Quarto reſpondetur, cum Eccleſia vbi videt, pœnam à ſe ſtatutam eſſe leuem pro modo culpæ, conſueuerit conſtituere, vt delinquens tradatur curiæ ſeculari. Alciat. in cap. cum non ab homine de iudic. debuiſſe nomine Reip. agi cum Sede Apoſtolica, quæ haud grauatè remedium opportunum pro poteſtate ſibi competenti ſuppeditaſſet. Nec eſt, quod dicamus, ſubditos laicos non eſſe cogendos Romam accedere, vt aduerſus Clericos iuſtitia eis miniſtretur, tum quia in ditione Veneta non deſunt Epiſcopi, qui & ipſi Veneti ſunt, &

auctoritatem Reipublicæ iuſtitiam pro ſubditis petentis plurimi feciſſent, tum quia ipſis negligentibus, vel renuentibus adiri poterat Nuntius, & tandem Sedes Apoſtolica, quę non vni tantum, aut alteri, ſed omnibus caſibus promptū aliquod remedium adhibuiſſet.

Octauò, aduerſus rationem eius concluſionis, Sedem Apoſtolicam potuiſſe eximere Clericos à ſeculari Principe, ne ordo Clericalis vileſcat, ſi Clerici coram laicis Magiſtratibus poſſint conueniri, dicitur, non qui luit, ſed qui pœnam euadit, eſſe infelicem, poſſeq. Clericum rectè viuendo hanc ſecularis Magiſtratus auctoritatem vitare. Reſpondetur, infeliciores quidem improbos eſſe iniuſta impunitate, donatos, quam iuſta vltione punitos, vt ait Boet. lib. 4. de conſol. Philoſoph. proſ. 4. ſed hic de impunitate non agitur, ſed, ne reus ad aliorum tribunal euocari debeat, contenditur. Nec verò vrget, quod dicitur, poſſe Clericum diſcrimen ſibi à Magiſtratu laico imminens, declinare vitæ innocentia. nam & inſontes Clericos à laicis infeſtis, & iniuſtè vexari, & iniquè damnari quandoq. contingeret, & etiam nullo admiſſo crimine firmiores, & promptiores ad ſuum munus in laicos in foro pœnitentiali, & alibi exercendum futuri ſunt Clerici, ſi a laicorū tribunali ſint exempti, quam ſi illi ſubijciantur.

Nonò, adducitur conſuetudo immemorabilis Reip. Venetæ, de his Clericorum delictis cognoſcendi, & publicam vindictam ſumendi, quam validam eſſe, hæc ratio ſuadet, quod cum ſuperius conceſſum ſit, hanc iuriſdictionem in Clericos ſeculari Principi poſſe acquiri priuilegio Sedis Apoſtolicæ, conſequens eſt, vt etiam intelligatur, quæri poſſe præſcriptione, ſeu conſuetudine cap. ſuper quibuſdam. §. præterea vbi DD. de verb. ſignif. Alex. conſ. 70. col. 2. volum. 4. Reſpondetur primum hanc conſuetudinem etiam tanti temporis, vt eius initij memoria non exiſtat, validam non eſſe, quod ex gloſ. in cap. Clericis in verb. conſuetudine, de iudic. iam declarauit Rota Deciſ. 10. ſuperius allegata, quæ omnino intelligenda eſt de conſuetudine etiam im-

P 2 me-

memorabili, cum declaret exemptionem eſſe iuris diuini, quod cum per Summum Pontificem tolli non poſſit, multo minus poteſt tolli conſuetudine, cap. quæ contra, cap. veritate 8. diſt. cap. in his. 11. diſt. cap. fin. de conſuetud. Nauar. in tract. de redit. Eccleſiaſt. q. 1. monit. 31. n. 1. Et in terminis huius conſuetudinis Socin. in cap. ſi quis Clericus n. 43. in 19. fallent. Reſtaur. Caſtald. de Imperat. quæſt. 101. n. 8. Pet. Iacob. Gallus in pract. tit. de acquiſitis ab Eccleſia n. 17. verſ. item poteſt, vbi, ſi fiat (inquit) aliquid, vel obſeruetur contra Eccleſiæ libertatem, nec præſcriptio cuiuſquã temporis, nec aliqua vetuſtas poteſt ligare, nec in aliquo nocere Clero, nec in perſona, nec in rebus; nec laici exinde poſſunt de iure aliquod petitorium, vel poſſeſſorium acquirere, vel obtinere pro præterito tempore, vel etiam in futurum. Idem tradunt Aufrer. deciſ. 126. Rebuf. ſuper concord. in rubr. de protectione concord. verſ. 3. infertur. Et poſt Felin. Crot. & alios ſequutos eandem deciſionem, tradit Gabriel in com. concluſ. lib. 5. tit. de præſcrip. concl. 1. n. 17. Decian. d. cap. 9. n. 14. Nec ratio æquiparationis inter priuilegium, & præſcriptionem immemorabilẽ procedit, vbi qui poſſidet, non eſt capax, ſicut in caſu noſtro laicus eſt incapax iuriſdictionis in perſonas Eccleſiaſticas, cap. Clerici de iudic. cum ſimil. Ita ſcribunt omnes poſt Io. Mon. in cap. 2. de præben. in 6. Rebuf. in tract. de decim. quæſt. 13. n. 68. & innumeri DD. relati ab eodem Gabriel. d. concl. 1. n. 16. & à Deciano ibidẽ n. 15. Secundò, reſpondetur cõſuetudinem eſſe probandã ab eo, q̃ illã pro ſe adducit: DD. in l. de quibus. ff. de legib. At in caſu noſtro nos potius ex atteſtationibus Iuriſcõſultorũ ſuperius relatis oſtendiſſe conſuetudinem ſtare pro exemptione. Tertiò reſpondetur etſi de facto ab immemorabili tẽpore ita eſſet obſeruatũ, & poſſidens non eſſet incapax, tñ dicta conſuetudo nullo pacto aliquid roboris haberet, q̃a eſt quolibet anno interrupta per Cõſtitutionẽ, quæ in die Cænæ Domini legi conſueuit, qua excõmunicantur laici uſurpãtes iuriſdictionem in Clericos, & immemorabili conſuetudini derogatur.

(360
tur.Felin.in cap.cum non liceat col.penult. verſ. quintò cõſidera de præſcrip. Eſt etiã interpellata, quia quoties in perſonas Eccleſiaſticas aliquid Reſp. attentando exceſſit tenorẽ priuilegiorum ſibi a Sede Apoſtolica conceſſorum, de quibus infra, ſemper Summi Pontifices reclamarunt; & Senatum Venetum ea de cauſa increpuerunt, vt patet ex varijs litteris in forma Breuis Gregorij 9. Nicolai 5. Pauli 2. Sixti 4. Innoc. 8. Iulij 2. Leonis 10. Clementis 7. Pauli 3. Greg. 13. & aliorum, quæ cum alijs authenticis ſcripturis in regeſtis Apoſtolicis aſſeruantur. Quarto quia Concilium generale Lateranẽſe ſub Leone X. ſeſſ. 10. conſtit. incip. regimini, prohibens laicis capere, & detinere perſonas Eccleſiaſticas cuicunq́. conſuetudini derogauit, tanquam tendenti in offenſionem Diuinæ Maieſtatis, vt habetur ibid. verſ. & cum ea. lex autem hoc pacto reprobans conſuetudinem nedum tollit præcedẽtem, ſed etiam obſtat futuræ. Abb. in cap. 2. n. 7. de probat. Couar. ex cõmuni ſententia lib. 3. Variar. Reſol. cap. 13. n. 4. Alexan. in l. ſi non ſpeciali n. 2. C. de teſtam. Quintò pro reſponſione duo Trident. Concilij decreta in hac materia ſufficerent. Alterum habetur in cap. 6. ſeſſ. 23. vbi ſtatuit, prima tonſura initiatum, aut in minoribus ordinibus conſtitutum fori priuilegio non gaudere, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, & tõſuram deferens, alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruiat. cum enim ex vulgata Iuriſconſultorum concluſione dictio, niſi, quæ ſubnectitur orationi negatiuæ, inducat diſpoſitionem affirmatiuam. Bart. in l. ſi eum. §. iniuriarũ, ff. ſi quis caution. Archid. in cap. 1. de conſtitut. in 6. in vltima col. verſ. niſi, Iaſon in l. actione n. 3. C. de tranſact. conſequens eſt, vt ſicut Cõcilium ſtatuit, Clericos minorum ordinum non gaudere priuilegio fori, niſi præditi ſint qualitatibus ibi expreſſis, ita ſtatuat oppoſitum antecedentis, cum qualitates concurrant, id eſt, vt Clerici minorum ordinum, ſi beneficium Eccleſiaſticum habeãt, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferentes, alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruiant, fori priuilegio potian-

tiantur. Alterum decretum habetur in cap.20.ſeſſ.25. vbi ſancta Synodus Imperatorem, Reges, Reſpublicas, & Principes omnes grauiſſimis verbis obteſtata, vt quò largius bonis temporalibus, atq. in alios poteſtate ornati ſunt, eò ſanctius, quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, tanquam Dei præcipuè, eiuſq. patrocinio tecta venerentur, nec ab aliquo lædi patiantur, decernit, ſacros Canones, & Cōcilia generalia omnia, necnon alias Apoſtolicas ſanctiones in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarum, ac immunitatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia eo decreto innouat, exactè ab omnibus obſeruari. Fruſtra igitur oſtenditur immemorabilis conſuetudo, cum extent noua de hac re Tridentini Cōcilij decreta, à cuius publicatione, necdum lapſi ſunt anni 43. nec conſuetudo vlla induci aduerſus eorum decretorum diſpoſitionem poſſit, cum Pius Quartus in Cōſtitutione confirmante Concilium illud vbique iuſſerit obſeruari, adiecto decreto irritante, quod tollit nedum conſuetudinem præteritam gl. in Clem fin. in verb. decernimus, de reb. Eccl: non alien. ſed etiam futuram. Rebuf. poſt alios in concord. ſub rubr. de firm. & irreuocab. concord. ſtabilit. in verbo, plus dicit.

Decimò allegatur horum Reip. iudiciorum in Eccleſiaſticas perſonas tacita, & expreſſa ominum Summorum Pontificum approbatio. tacita, quia cum ea nouerint, repræhendiſſent, ſi non probaſſent. expreſſa autem ex diuerſis Breuibus, videlicet, Sixti Quarti, Innoc. 8. Alex. 6. & Pauli 3. quæ in Reipub. archiuijs cuſtodiuntur. Quoad tacitam approbationem, nec Summos Pontifices talia ſciuiſſe, probari poteſt, & quamuis noſſent, ſimplex ſcientia. & tolerantia non inducit approbationem talis conſuetudinis. Io. de Lignan. & Gaſpar Calder. in cap. decernimus de iudic. Socin. in d. cap. Si quis Clericus. n. 43. Imò etiam in his, quæ ſunt contra legem poſitiuam à maiori parte receptam, ſcientia Papæ non inducit diſpenſationē. Abb. in cap. quia circa n. 8. de conſang. & affin. & ratio eſt, quam reddit text. in cap. iamdudum de

præ-

361

præben. quia multa per patientiam tolerantur, quæ ſi fuiſſent iudicium deducta, exigente iuſtitia, tolerari non debent. Interim verò illud in hoc negotio Summis Pontif. vſu venit, vt ſi coercere velint iuriſdictionem Eccleſiæ vſurpantes, eorum rigor accuſetur, ſi verò conniueant, mox patientia pro approbatione accipiatur. Approbatio autem expreſſa deducitur ex Breuibus Summorũ Pontificum. Qua in re quis non perſpiciat cautionem? Hæc Breuia non conſuetudinis approbationẽ, ſed priuilegia tantum continent in aliquibus duntaxat caſibus, cum loci, temporis, & perſonarum determinatione, Clericorum cauſas cognoſcendi. Sed quia huiuſmodi priuilegia allegare, vel exhibere, eſſet fateri, quod verum eſt, neque ex iure, neque ex conſuetudine talem iuriſdictionem in Clericos Reip. competere, indeq. deprehenderetur quaſi poſſeſsio Sedis Apoſtolicæ, ſuppreſſo priuilegiorum nomine, nonnulla tantũ verba referuntur, ex quibus prætenditur, colligi Pontificiam conſuetudinis approbationẽ. Eſt tamen, qui ea priuilegia ſæpius ſe inſpexiſſe, teſtetur, nempe Hieron. Gigas in d. tract. de crim. læſæ maieſt. quæſt. 69. nu. 20. vbi ait, in tribus atrociſſimis caſibus ibi expreſſis Senatui Veneto tributam eſſe à Sede Apoſtolica facultatem in Clericos, etiam in ſacris conſtitutos, procedendi. In cæteris verò ex indulto Clementis Septimi poſſe Venetos procedere contra Clericos, dummodo ſacros ordines non ſuſceperint, & beneficium non obtineant. Sunt etiam, qui Romæ illa inſpexerunt, affirmantq́. nullum ex dictis priuilegijs in hoc caſu Reip. ſuffragari. Nam priuilegium Sixti Quarti, quod dicitur datum die 2. Iunij 1474. loquitur tantum de Clericis primæ tonſuræ Ciuitatis Venetiarum, & in delictis falſæ monetæ, ac læſæ maieſtatis. Aliud priuilegium eiuſdem Sixti, quod dicitur conceſſum die 30. Iunij 1474. continẽs, vt Patriarcha, quoties huiuſmodi perſonæ caperentur, ad earum examen ſuum Vicarium mitteret, loquitur de eiſdem Clericis, & eiſdem cauſis. Priuilegium Innocentij Octaui, quod dicitur datum die vlt. Decemb. 1487. iniungit Vicario,

tio, vt ſicut in examine Clericorum captorum pro ſupra expreſſis criminibus auctoritate Sedis Apoſtolicæ interuenire poterat, ita etiam intereſſet examini in caſibus furti, & latrocinij, & in aliis atrocibus, & grauibus facinoribus, ſed loquitur de eiſdem Clericis prima tonſura initiatis, & de delictis commiſſis in Ciuitate Venetiarum. Priuilegium Alexandri VI. datum die 29. Iulij 1502. præmiſſa narratione, Leonardum Laurentinum Ducem Venetiarum expoſuiſſe, nulla ferè latrocinia, & grauiora delicta in Ciuitate Venetiarum perpetrari, quibus aliquis Clericus ſecularis, vel regularis non interueniret, concedit, vt Patriarcha ſicut poteſt intereſſe examini Clericorum ſecularium ex literis Sixti Quarti, & Innocentij Octaui, ita etiã intereſſe queat examini Clericorum Regularium cuiuſcunque ordinis, ita vt ſemper conceſſionem dirigat, & coarctet ad delicta commiſſa in Veneta Ciuitate. Aliud priuilegium Clemen. VII. datum 3. Idus Februa. 1529. tribuit facultatem Iudicibus ſecularibus procedendi contra Clericos Reip. Venetæ, tam coniugatos, quam alios ad minores ordines promotos, non beneficiatos, nec in ſacris ordinibus conſtitutos. Priuilegium verò vltimum Pauli III. datum die 28. Octob. 1502. dicitur continere, Iudices ſeculares Ciuitatis Venetiarum aſſiſtente Patriarchæ Vicario contra Clericos ſeculares, & Regulares, etiam in ſacris ordinibus conſtitutos, atrocia delicta in Ciuitate Venetiatum, eiuſq. Diœceſi patrantes, procedere, eoſq. punire poſſe, dummodo à Vicario, & alijs Eccleſiaſticis Iudicibus præuenti non eſſent, & quoties pœna ſanguinis eſſet imponenda, præcederet degradatio, iuxta formam iuris. Itaque cum poſtremum priuilegium, quod cæteris latius eſt, de Clericis in ſacris conſtitutis Ciuitatis Venetiarum, & eius Diœceſis loquatur, non potuit Reſp. procedere contra dictum Canonicum, & Abbatem alterius Ciuitatis, & diœceſis duplici ex capite. Primò, quia cum hæc priuilegia contra ius ſtrictè accipienda ſint, cap. quia periculoſum de ſent. excommun. in 6. & ſimil. appellatione Cleri-

corum

eorum etiam in ſacris conſtitutorum non venit Abbas Nerueſæ conſtitutus in dignitate Eccleſiaſtica, neque etiam Canonicus Vicentinus, qui & ipſe latè ſumpto vocabulo dicitur conſtitutus in dignitate. Franc. Gemin. & alij in cap. ſtatutum de reſcript. in 6. adeò vt in materia reſtringibili, vt eſt noſtra, appellatione Clericorum Canonicus non comprehēdatur. Abb. in cap. bonæ il primo de poſtul. Prælat. Secundò, quia cum priuilegium tribuatur quoad Clericos Ciuitatis Venetiarum, eiusq́. Diœceſis, nō porrigitur ad hos, qui ſunt ex alia Diœceſi, & Ciuitate, ex notiſſima regula Innocen. in cap. cum capella. §. quocirca, de priuileg. Itaque huiuſmodi priuilegia conuincunt Remp. proprio iure, nullam in Clericos iuriſdictionem habere, ſed tantum à Summo Pontifice mandatam; eam verò ad dictos duos Sacerdotes ex alia Ciuitate, & Diœceſi, præſertim Canonicatum, & dignitatem obtinentes nequaquam extendi, ac propterea neque comprehendi, neque in carceres detrudi, neque ad cauſam dicendam compelli iuſſu Reip. potuiſſe, ſine euidenti, & maxima Eccleſiaſticæ libertatis violatione.

Nimius ſim, ſi quæ ad Eccleſiæ iuſtitiam hac in re patefaciendam conferunt, perſequi omnia velim. Tria tamen nullo pacto prætermittenda ſunt. Primò horum omnium articulorum definitionem non ad ſecularem Iudicem, ſed ad Eccleſiaſticum ſpectare. Nam vbi quæſtio incidit, cuius ſit iuriſdictio, Iudex maior cognoſcit cap. ſi Iudex, de ſent. excomm. in 6. Ripa in cap. decernimus poſt num. 4. de iudic. Alexan. conſil. 8. col. 3. lib. 1. Ant. in cap. cæterum in 3. col. de iudic. Felin. & Dec. in cap. paſtoralis in principio de reſcript. Couar. qui teſtatur ita in Hiſpania ſeruari c. 33. pract. quæſt. num. 1. Et ſpecialius, vbi eſt quæſtio inter Summum Pontificem, & Imperatorem de re ſpirituali, vel ad finem ſpiritualem pertinente, vel de materia peccati, Pontificem ſolum eſſe Iudicem, ſcribit Anton. Roſel. in tract. de poteſt. Imperat. & Pap. in cap. incipiente. ex his etiam decidetur num. 1. Reſtaur. Caſtald. d. tract. de Imperat. quæſt. 52. in

princip. Poſtremus autem articulus exemptionis perſonarũ Eccleſiaſticarum iam definitus eſt deciſione Rotæ ſuperius allegata.

Secundò, non eſt omittendum, Remp. Venetam non modò generali, qua omnes Catholici Principes, ſed etiam peculiari, ac propria obligatione obſtringi ad Decreta Tridentini Concilij immunitatem Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis conceſſas, concedentia, confirmantia, & innouantia obſeruanda. Nam Tridenti die 6. Decembris 1603. Nicolaus de Ponte Doctor, & Eques Venetæ Reipub. ad generale Tridentinum Concilium Orator nomine ipſius Reipublicæ, omnia, & ſingula in eodem Concilio, tam ſub Paulo Tertio, & Iulio Tertio, quam Pio Quarto acta, decreta, geſta, facta, concluſa, & determinata, ac totum ipſum Concilium, & in eo contenta quæcumque recepit, laudauit, & eorum actis ſubſcripſit, vt conſtat publico inſtrumento Notariorum Concilij, ea de re confecto, quod habetur in voluminibus Concilij Tridentini par. 3. ſub Pio Quarto, quæ in arce Diui Angeli aſſeruantur. Et deinde Venetijs Concilio ipſo iam à Pontifice auctoritate Apoſtolica confirmato. Die 16. Ianuarij 1566. Hieronymus Priulus Venetiarum Dux, ac Senatus Venetus in conſilio Rogatorum congregati, eiuſdem Tridentini Concilij Decreta religioſè receperunt, ac in toto dominio obſeruari, ac publicari, iuſſerunt.

Tertiò, quia Senatus Venetus anno 1510. menſe Februarii per viros primarios ſuos legitimos procuratores, illo fœdere, quod bello finem impoſuit, Iulio Secundo Romano Pontifici promiſit, ſe libertatem Eccleſiaſticam, tunc multis modis impetitam, amplius non violaturum. Verba promiſſionis hæc ſunt: Item nominibus, & modo, quibus ſupra, promiſerunt deinceps perpetuis futuris temporibus, per ſe, vel alium, ſeu alios, ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, aut ingenio non impedire, nec ſe quoquo modo intromittere, quò minus cognitio cauſarum fori Eccle-

cleſiaſtici liberè exerceatur per iudices Eccleſiaſticos, & per eos dictæ cauſæ cognoſcantur; & terminentur, in quacunque inſtantia, tam in Romana Curia, quam in aliis locis, prout Sanctiſſimo Domino Noſtro, & Romano Pontifici pro tempore, illas in quocunque ſtatu committi contigerit, nec appellationes & prouocationes in cauſis prædictis ad eandem Sedem, vel alios interponi, & interpoſitas liberè proſequi etiam in Romana Curia impedient. Nec pariter Clericos, aut Eccleſiaſticas perſonas prædictas abſque expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, vel alterius Eccleſiaſtici iudicis, ad quem ſpectat, capi, carcerari, detineri, aut quauis moleſtia in eorum bonis, perſonis, aut beneficiis affici facient, aut permittent.

QVINTA PARS
DE CENSVRIS.

CVM igitur Senatus Venetus tot legibus aduerſus Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas perniciosiſſimo exemplo,& non magno temporis interuallo latis, Sacerdotibusq́. in carcerem coniectis, ac ad cauſam in laicò tribunali dicendam compulſis,Eccleſiaſticam libertatem, ac immunitatem Dei ordinatione,& Canonicis ſanctionibus conſtitutam, quatuor quaſi machinis oppugnaſſet, violaſſetque, Summus Pontifex tantis auſibus, pro commiſſo ſibi à Chriſto Ieſu Apoſtolico munere, obſiſtere neceſſe habens, ne Eccleſiaſtici iuris deſerti, ac curæ animarũ Venetæ Reip. Senatorum neglectæ, in extremo Dei iudicio condemnari poſſet, leuiora prius remedia ſibi ſtatuit experienda. Itaque primum cum Oratore Reip. Romæ commorante, ac deinde cùm alijs quatuor Oratoribus Romam à Repub. gratulationis cauſa ablegatis feriò, ſed humaniter egit, vt Venetus Senatus huiuſmodi leges Eccleſijs inſigniter noxias, & nullo pacto ferendas abrogaret, Sacerdotesq́. in carceres detruſos, ad Eccleſiaſticum tribunal remitteret. ſibi enim curæ fore, vt in eos ſi ita meriti eſſent, ſeueriſſimè animaduerteretur. Nihil his officijs Pontifex profecit, imò reſponſum tulit, Remp. vehementer mirari, quod eas leges reuocari contenderet, quas ipſa ratione ſupremi dominij condere potuiſſe non dubitabat. Et cum interim Pontifex ſæpè, ac ſæpius cum Oratore congreſſus reuocationem vrgeret, in eamq́. ſpem ingreſſus eſſet, Remp. alioqui præclaram tãdem agnita veritate, paternis hiſce monitis obtemperaturam; certior fit,Senatum Venetum, vt omnem Pontificijs precibus, & hortationibus aditum præcluderet,

Pontificiq. ſpem omnem, aliquid hac ratione proficiendi, præcideret, magna deliberatione decreuiſſe, ne quis amplius hac de re ad Senatum referret; quod ſi forte, magno aliquo Principe poſtulante, aliquando referri neceſſe eſſet, deliberationi talem formam præſcripſiſſe, vt iuxta Reipub. ſtylum difficilis, ac propemodum impoſſibilis futura ſit reuocatio. Hoc pacto Pontifex omni ſpe reuocationis obtinendæ deiectus, cogente paſtorali debito, grauioribus remedijs animũ adiecit. Primum itaque litteras in forma Breuis ad Senatũ dedit, quibus vehementiſſimè eum monuit, ac obteſtatus eſt, vt leges ſupradictas antiquaret, ac Sacerdotes carceribus mancipatos ad tribunal Eccleſiaſticum reijceret, grauiſſimas cenſurarum pœnas, vbi dicto audiens non fuiſſet, apertè cõminatus. Nec his litteris à Nuntio redditis, quicquam potuit obtineri. Interim Reſpub. alium Oratorem ad Pontificem mittit. Is vbi ad Vrbem acceſſit, Pontifici aperto ore denuntiauit, non eſſe, cur ſperaret, Rempub. leges latas vnquam abrogaturam. quod etiam in vniuerſa curia euulgauit. Id tantum poſtulauit, vt rationes Reipublicæ, Pontifice diſceptatore audirentur. Sed cum Pontifex, eas ſibi ſcripto exhiberi petijſſet, vt id faceret, nunquam adduci potuit. Quamobrem, cum nihil amplius ſpei ſubeſſet, rem aliquando conuenturam, & Senatus pergeret leges de facto latas obfirmatè tueri, & perſonas Eccleſiaſticas diu carceris ſquallore maceratas, nullo pacto dimittere in animum induceret, cum certa ſuarum animarum pernicie, ac immunitatis Eccleſiaſticæ incomparabili læſione; tandem Pontifex ex ſacrorum Canonum præſcripto, & prædeceſſorum ſuorum exemplo, ea ſola, quæ ſupererat, ratione, id eſt, armis ſpiritualibus in hunc vſum ſibi à Deo traditis, Eccleſiaſticæ libertati eo in dominio periclitanti, ſtatuit opitulari. Et quamuis Senatum Breuibus Apoſtolicis iam ſatis monitum, quemadmodum litteris Nuntij conſtabat, poſſet Sanctitas Sua abſque alia cunctatione, excommunicatum declarare, Dominiumq. Venetum interdicto Eccleſiaſtico ſup-

po-

ponere, tamen vt etiam amplius experiretur, num forte Reſpublica alioqui præſtantiſſima pro ſua pietate in melius vellet mutare conſilium, conſultis prius in publico Conſiſtorio Cardinalibus, ac de eorum ſententia, Monitorium decreuit, quo Senatui 24. dierum terminum, octo pro primo, octo pro ſecundo, & octo pro tertio, & vltimo peremptorio aſſignauit, intra quem leges reuocare, & perſonas Eccleſiaſticas ad Iudices Eccleſiaſticos remittere deberet; quod ſi Senatus hæc dicto tempore non præſtitiſſet, illum excommunicatum nunciauit, ac ſi perſiſteret, intra alios tres dies, vniuerſum dominium Venetum interdicto Eccleſiaſtico voluit eſſe ſubiectum. Hoc termino lapſo, nemineque Reip. nomine prorogationem, quã Sanctitas Sua concedere parata erat, poſtulante, Senatus excommunicatus, & Domininm Venetum interdictum remanſit. Iam ex his, quæ ſuperius de ſingulis legibus, & de ſeculari iudicio, quod in pſonas Eccleſiaſticas exercetur, diſſeruimus, conſtat, quoad materiam iuſtiſſimas, ac perneceſſarias fuiſſe Sum. Pontificis cenſuras. Quamobrẽ minimè nunc opus eſſet rei geſtæ rationem, & cenſurarum formam ab oppugnationibus defendere. Nam cum id, quod perperam geſtum eſt, ſi geſtum nõ eſſet, denuò geri deberet, non attenduntur obiectæ nullitates etiam veræ. Ita reum in carceres coniectum non eſſe dimittendum, quamuis decretũ capiendi haud ritè à Iudice emanauerit, ſi probata cauſa, conſtet, id decretum, ſi conceſſum non eſſet, iterum eſſe concedẽdum ex text l. fin. §. fin. quod met. cauſ. ſentit Bart. ibid. & in quæſtionibus ſuis quæſt. 6. incipiẽte lapus n. 16. circa fin. Paulus de Caſtro in conſ. vlt. in fin. parte 1. Sic immiſsionem in poſſeſsionem, quamuis nullam, confirmari debere, ſi à Prætore rurſus eam decerni oporteret, ſi iam decreta non fuiſſet, docuit poſt Ang. & alios Alex. in l. ſi finita n. 8. ff. de damn. infect. Decius in conſ. 449. n. 16. In caſu autem noſtro quis dubitet, cenſuras, etiamſi eſſent nullæ, quod tamen ſecus eſſe, euidentiſsimè oſtendetur, rurſus debuiſſe fulminari? leges prædictæ nequaquam ſunt abolitæ, vel immutatæ, perſo-

næ Eccleſiaſticę adhuc in ſecularibus carceribus cuſtodiuntur, ſeculariq́. iudicio, magno Sedis Apoſtolicæ contemptu, & fidelium ſcandalo, ſubduntur. Quid ergo de forma, vel de rei gæſtæ ratione opus eſt diſputare? Cęterum vt hac quoque in re oppoſitoribus ſatiſfiat; primum illud ob oculos ſibi ponere velim, qui hæc legunt, quam iuri conſentaneũ ſit, excommunicatos ſibi fingere, iniuſtam eſſe excommunicationem, atque irritam, ac propterea illi, aut interdicto eius cauſa lato parendum non eſſe. Si enim hæc locũ habebunt, quãdo vnquam aliquis tantæ pietatis futurus eſt reus, qui ſe non iniquè, ac perperam excõmunicatum eſſe, contendat? Promptum eſt ad ſui excuſationem, & ad facinorum culpam vel eleuandam, vel occulendam, vel in alios auertendam humanum ingenium. Itaque ſi excuſationes reorum, iudicum ſententijs præferendæ ſunt, faceſſant tribunalia, ſentẽtiæ non ferantur, excommunicationes, & cenſuræ, nerui Eccleſiaſticæ diſciplinæ à Deo traditæ (quod Deus auertat) prorſus aboleantur, neceſſe eſt. Immunitatem Eccleſiaſticã iugulent, qui velint, nullo modo poterunt à Chriſti Vicario, cui ea cuſtodienda credita eſt, coerceri. Ac propterea ſtandum eſſe ſententiæ iudicis, quamuis non ſupremi, iure communi cauetur, niſi exceptio nullitatis, vera, & ſpecialis in iudicio aduerſus eã propoſita fuerit, Vant. de nullit. tit. quomodo ſent. nullit. defend. n. 29. & 30. Hic autem nulla oppoſita eſt in iudicio exceptio. Sed tamen videamus, quæ ſint exceptiones, quæ extra iudicium his ſcriptis nouiſsimis proponuntur. Primò, obijcitur, hæc omnia eſſe præcipitanter acta, cum tamen in Romana Curia etiam leuiores cauſæ plerunq́. litigantium morte, non ſententia iudicis finem accipiant. Reſpondetur, inter priorem huius rei tractationem, atque declarationem excommunicationis ſex menſium ſpatium interceſsiſſe. Hancq́. cauſam non eſſe ſimilem alijs, quæ in Rom. Curia paſſim in iudicijs aguntur. Primò, quia illæ vertuntur coram iudicibus inferioribus, ſeruantibus omnia iudicij ſubſtantalia, quæ longum tẽpus requirunt. Hæc cognita eſt coram Pontifice, à quo ordo iudi-

Iudiciarius, & omnes iuris poſitiui ſolennitates omittuntur, cap.ad petitionem,vbi DD.de accuſat.Felin.in cap.ex cauſa de re iudic. In illis plerunq́. ſtatus cauſæ is eſt, vt,an factum quid ſit,quæratur, in cuius probatione,ac reprobatione multum temporis inſumitur. In hac factũ erat notorium,illudq́. Oratores Reip. non diffitebantur. In illis agitur ſimpliciter de iuſtitia miniſtranda,ſuo cuiq́. iure tribuendo,hic verò de vſurpatione compeſcenda;adeò vt in his cunctationi locus eſſe non poſſit, ſicut in illis. Nec enim hoc caſu verè,& propriè cauſa aliqua controuertitur,ſed Princeps,& Magiſtratus ſecularis ius Eccleſiæ palam vſurpans, vel ei iniuriam inferens manifeſtam, compeſcitur, & coercetur, vt mandant ſacri Canones cap.2. de for.compet. in 6. cap.licet de iureiur. in 6. cap.2. de except.in 6.cap.decernimus de ſent.excom.in 6. Reſpublica ius Eccleſiæ inuadit, Pontifex defendit. Defenſio autem eodem temporis articulo neceſſaria eſt,quo dãnum infertur, ne ſi protrahatur, vindicet tantum delictum commiſſum, non autem obſiſtat etiam committendo. Et non ſine cauſa quæſtionis fuit inter Canoniſtas, an ſententia excommunicationis eſſet definitiua, vel potius interlocutoria,& plerique ſenſerunt eſſe interlocutoriam,vel ſaltem magis accedere ad naturam interlocutoriæ, quàm diffinitiuæ. Hoſtien.& Io. Andr. in cap. 1. de ſenten. excommun.in 6. & poſt Specul.Socin.in cap. à nobis il 2.de ſenten. excommun. Itaque properè cenſuris vti oportuit ad reprimendum grauamen detentionis perſonarum Eccleſiaſticarum, in qua Reſp. perſeuerando quotidie delinquebat. Bald.in l.2.C.de epiſc. audien. ante med. verſ.ſecundo quæritur. Franc.in cap. ex parte il 1.in 4.col. verſ. quarto, & vltimo, de appellat.Et tamen ſpacio quinq́. menſium, vt ipſimet fatentur, dilatæ ſunt cenſuræ,quo tempore nunquam Sanctitas ſua deſtitit emendationem efflagitare,ſæpius Rep.tam per ipſius Reip.Oratores,quam per Nuncium Venetijs commorantem interpellata.Quibus officijs incaſſum interpoſitis, cum Senatus quotidie magis induruiſſet,tandem aduerſus eum Monitorium de-

creuit

treuit, vt ſupra dictum eſt. Quo fit, vt potius ab his, qui in carcere à Iudicibus non ſuis detinebantur ægerrimè ferri debuerit cunctatio, quam ab excommunicatis incuſari præcipitatio. Cum dicitur, excommunicatas eſſe hominum myriades, numerus in immenſum augetur, quia Pontifex excommunicauit tantum Ducem, & Senatum Venetum, eorumq. fautores, conſultores, & adhærentes; vniuerſum autem Dominium poſt alios tres dies Eccleſiaſtico interdicto ſubiecit. Dux, & Senatus excommunicati fuerunt propter culpam ſuam, Dominium Venetum interdicto ſuppoſitum propter culpam Ducis, & Senatus Dominorum temporaliū eius regionis. Nam excommunicatio requirit culpam, cui annexa ſit contumacia, cap. nemo Epiſcoporum 11.quæſt.3. Interdictum autem fertur etiam contra innocentes ob culpam Domini temporalis, cap.non eſt vobis de ſponſal. cap.ſi ſententia, de ſenten.excomm.in *6.* cap.ſanè, vbi Decius nu. 37.de off. deleg. Couar. in cap. alma mater, in 1.relect. §.1. num.4. de ſenten. excommun. in *6.* & lib. 2. variar. reſolut. cap.8.num.10

Secunda eſt obiectio, Breue de perſonis Eccleſiaſticis ad tribunal Eccleſiaſticum remittendis, directum fuiſſe Marino Grimano Duci, & Reipub. Venetorum, redditum autem Reip. poſt eius mortem, adeò vt quoad præſentem Ducem dici non poſſit, præceſſiſſe citationem ad ſententiam declaratoriam, & monitionem ad cenſuras. Hæc obiectio ab ijs, qui norunt Venetæ Reip. inſtituta facilè confutari poteſt; nam poteſtas Reip. penes Ducem non eſt, & eo extincto etiam ante ſucceſſoris creationem Reſp. integra, vniuerſaliq. vtitur iuriſdictione; adeò vt ea non vacet morte Ducis, ſicut vacat Sedes Apoſtolica morte Pontificis, cap. vbi periculum de elect.in *6.* & Imperium morte Imperatoris. Clement. paſtoralis.§.fin.de re iudic. Sed ius totius Collegij, ſeu Ariſtocraticæ gubernationis etiam in vno ſuperſtite conſeruetur, l.ſicut.ff.quod cuiuſque vniuerſ.nom.cap.ſi forte, vbi gl.in verb.ſuperſtes *66.* diſt.gl. in cap.gratum, in verb. pauciores,

vbi DD. omnes de poſtul. Prælat. Atque ita nomen Ducis honoris cauſa in actibus publicis præponitur, vtque qui cæteris honore præſtat, ſpecialiter deſignetur, non autem quod eius nomine prætermiſſo, appellatione Reip. Dux quoque non comprehendatur, ſicut cum in Euangelio habetur, dicite Diſcipulis eius, & Petro, & in iure ciuili extat tit. C. de ſeruit. & aq. iam enim Petrus veniebat appellatione Diſcipulorum, & aqua appellatione ſeruitutum, & tamen Petrũ vti eorum Principem, & aquam vti præcipuam ſeruitutem, quamuis ſatis in generali expreſſione comprehenſos, ſpecialiter exprimi decuit, vt per DD. d. rubr. C. de ſeruit. & aqua. Quapropter fruſtra arripitur hæc nullitatis occaſio, cum ſola Reip. mentio incluſerit Ducem ſucceſſorẽ, qui eſt pars Reip. Idq́. Reſp. ipſa facto comprobauit, quæ litteris dicti Breuis, quaſi ipſam afficerent, reſpondit, vt ipſimet fatentur, ibi, Riſpoſe il Senato al Breue del Pontefice. Nec eſt, quod dicatur, cenſuras eſſe ſtrictè accipiendas. id enim nemo negat, ſed nos ſtrictè accipiendo dicimus, Reip. nomine ſingulos Senatores, & eorum præcipuè caput eſſe comprehenſum, ſicut appellatione Scholarium Rector includitur, & Tribunus appellatione militum. Bart. in l. quod conſtitutum. ff. de teſt. milit. Dec. in cap. ſignificatum, num. 8. de præben. Imò cum omnes Senatores, qui legem condiderant, & eam non reuocabant, illo Breui monerentur, ex eisq́. Dux nouus fuerit electus, non eſt dubium, ipſum quoque eadem monitione deſignatum, ac incluſum eſſe, cum (quod magis eſt) excommunicatio lata cõtra Prædeceſſorem in dignitate etiam ſucceſſorem afficiat ſimul ac fouet factum damnatum, propter quod Prædeceſſor fuerat excommunicatus, vtputa quia Clericum captum iuſſu Prædeceſſoris in carcere pergit retinere. Abb. in cap. aduerſus num. 16. de immunit. Eccleſ. Præterea Dux poſtea creatus, etiamſi dicto Breui monitus non fuiſſet, ſatis fuit poſtea monitus monitorio decreto die 17. Aprilis, quod ſatis eſt, vt inferius dicetur.

Tertia eſt obiectio, alio modo probari, hanc excommuni-

catio-

cationem latam eſſe non præcedente citatione. Litteras enim in forma Breuis Reip. redditas à Nuntio non poſſe habere vim citationis. Primò, quia non citationem, ſed monitionem continent à citatione differentem. Secundò, quia in tali monitione non habetur clauſula, ſi te grauatum ſenſeris, quæ monitionem in citationem conuertit. Nauar. in cap. cum contingat, in 8. cauſ. nullit. de reſcript. Tertiò, quia his Breuibus leges Senatus nullæ, & qui eas condiderunt, in excommunicationem, aliasq́. cenſuras incidiſſe declarantur, quam declarationem præcedere debebat citatio. Quæ omnia etiam excipiuntur aduerſus validitatem monitorij, quod emanauit die 17. Aprilis. Reſpondetur, litteras in forma Breuis tria continere. Primò, leges huiuſmodi eſſe nullas, & minimè obſeruandas. Secundò, qui eas condiderunt, incidiſſe in excommunicationem. Tertiò, monitionem, vt Dux, & Senatus eas leges abrogarent, & comminationem pœnarum, ſi id non præſtitiſſent. Primum quidem nullam requirit citationem. Nam cum notorium eſt ſtatutum, vt hoc caſu, Eccleſiaſticæ libertati aduerſari, poteſt Iudex Eccleſiaſticus, quamuis non ſupremus, decernere, illud eſſe nullum, & irritum, mandareq́. vt non obſeruetnr, etiam abſque vlla citatione. Archidiac. in cap. quæ Lotharius 2. quæſt. 1. Dominic. in cap. fin. in 2. col. verſ. & pro iſta, de immunit. Eccleſ. in 6. Bald. in l. presbyteri in 3. col. C. de Epiſc. & Cleric. Felin. in cap. eccleſia S. Mariæ num. 108. de conſtit. Quoad ſecūdum, animaduertendum eſt, Pontificem illis Breuibus non declarare, nec decernere, eos, qui leges prædictas condiderant in excommunicationem incidiſſe, ſed referre tenorem Canonum, qui talis eſt, vt qui ſtatuta libertati, & immunitati Eccleſiaſticæ contraria ediderint, ipſo facto ſint excommunicati, cap. nouerint, de ſent. excomm. & alijs ſimil. quamobrē Canonis verba referendo; nec eos defunctos damnat, nec quicquam ipſe quoad illos conſtituit, multò minus notat Pontifices, qui cum eis communicarunt, præſertim cum non conſtet, Pontifices illas leges notas habuiſſe. Hoc pacto etiā

Eugenius Quartus patria Venetus, litteris ad Franciſcum Foſcari Ducem Venetiarum, quæ aſſeruantur in Regeſto Apoſtolico fol. 103. exorſus à præclariſſimis, veriſſimisq. illius Reipub. laudibus, poſteaq. grauiter conqueſtus in Veneto Senatu plurima deliberari, legesq. ferri, quæ Eccleſiaſticæ obſiſterent immunitati, illum ſeriò monet, vt deliberationes, & leges huiuſmodi aboleat, ac deinceps à talibus abſtineat. Ciues autem earum actionum auctores, participesq. in cenſuras Eccleſiaſticas, & ſententias à iure prolatas incidiſſe, & in dies incidere, dolenter ſubiungit. Tertium, quod illis Breuibus continetur, eſt monitio, quæ poſtea etiam, quamuis non neceſſariò iterata fuit monitorio dato die 17. Aprilis, cum præfixione termini vigintiquatuor dierum, vt dictum eſt. Stilus eſt autem Curiæ receptiſſimus, huiuſmodi monitiones habere vim citationis. Verum quamuis non haberent; alijs modis probatur obiectum citationis defectum nihil obſtare validitati cenſurarum. Primò enim non requiritur citatio ad ferendam ſententiam excommunicationis, vbi certum eſt, nullam parti competere defenſionē. Butr. in cap. cum olim de ſent. & re iudic. vbi ait, proceſſum Papæ valere in notorijs abſque citatione, & Abb. in cap. cauſam, quæ, num. 3. verſ. ſed iſtum. de reſcript. & alij plurimi, quos refert Gabriel lib. 2. commun. opin. concl. 1. num. 332. In caſu autem noſtro certum erat, nullam Reipublicæ competere defenſionem. Nam factum erat notorium, & tam Reſpublica Nuntio, quam Reipublicæ Oratores Pontifici pluries illud verum eſſe affirmarant. Ius autem erat indubitatum ex ſupradictis, & quoad perſonas Eccleſiaſticas, exemptionem eſſe iuris diuini, & contra eam non valere conſuetudinem, iam deciſum erat in Rota Romana ſupra relata in caſu conſuetudinis Anglicanæ. Itaque ob talem facti, & iuris certitudinem, indubij iuris eſt, omitti potuiſſe citationem. Secundò, cum condentes leges immunitati Eccleſiaſticæ aduerſas, ſint ipſo iure excommunicati, conſequens eſt, vt cum factum ſit notorium, poſſint denunciari

abſque

abſque alia citatione. Abb. in cap. parochianos n. 2. de ſent. excom. & in cap. peruenit n. 5. & ibi poſt Hoſtien. & alios Dec. n. 24. de appellat. & in cap. reprehenſibilis n. 3. de appellat. vbi ait, cum pœna eſt impoſita à iure, & de facto conſtat, excommunicatio nihil noui continet, ſed pœnam iuris ſimpliciter enuntiat, idem ſcribit Marian. Socin. in cap. perpendimus n. 263. eod. tit. & ſanè ratio, ob quam in declaratione excommnnicationis, in quam ex diſpoſitione iuris aliquis incidit ipſo facto, requiritur citatio, reſpicit diſcuſſionem facti, vt de illo conſtet, non autem diſcuſſionem iuris, quod poſito illo facto, abſque vllo miniſterio, vel iudicis, vel partis, ſtatim infligit pœnã, & propterea vbi pars in examinatione facti citata fuit, poteſt poſtea ferri declaratio excõmunicationis ſine alia citatione. Rom. conſ. 482. Et ita cum de facto conſtat, vt in caſu noſtro, nulla ratione neceſſaria eſt citatio, neque vt de facto liqueat, quod eſt iam certum partis confeſſione, neque vt ius examinetur, quod poſito illo facto, ſtatuta pœna cõfeſtim afficit delinquentem. Ideoq́. Henric. hanc materiam de more longa exequutus diſtinctione in d. cap. ſacro, verſ. aut quæris de ſecundo, ait, ſolam monitionem abſque cauſæ cognitione, & ſic abſque citatione, ad declarationem excommunicationis ſufficere, vbi factum eſt notorium, & ſententia iam lata eſt à Canone, ad idq́. citat cap. manifeſta 2. q. 1. & cap. euidentia de accuſat. Hinc etiã fit, vt quamuis ab execucione non ſit incipiendum, ſed à citatione l. 1. C. de execut. rei iud. tamen iudex aduerſus debitorem decimarum poſſit incipere à præcepto, & illum non ſoluentem excommunicare, etiam nulla monitione præmiſſa, quia exequutio iuris nullam habet iniuriam, cap. peruenit, de decim. cum ibi not. per Abbat. & alios, & Rebuf. in tract. de decim. in vlt. quæſtione n. 23. Tertiò, quia cum excommunicatio profertur ad defenſionem iuris, quod ab alio inuaditur, vel occupatur, formam obſeruare non eſt neceſſe. Vnde cum Sedes Apoſtolica eſſet in quaſi poſſeſſione cognoſcendi cauſas Sacerdotum in Veneto dominio, vt ſupra oſtendimus,

& de-

& de hac quaſi poſſeſſione Senatus illam nunc deijcere tentaret, potuit abſq. vlla cauſæ cognitione, imò etiam abſque monitione, excommunicationi ſubijcere Senatum inuadentem. Hoc enim caſu non videtur Sedes Apoſtolica, vt Iudex, ſententiam ferre, ſed, vt priuatus, ſuam poſſeſsionem tueri, ſicut quilibet iure poteſt armis materialibus, & multò magis ſpiritualibus, ideſt ipſa excommunicatione. Ant. de Butr. in cap. Venerabilis in 3. col. verſ. his viſis. de cẽſib. Lap. allegat. 73. n. 3. Felin. in cap. ſacro n. 6. de ſent. excom. & ibi Henric. in princip. verſ. aut ſuperior. Marian. Socin. in cap. perpendimus n. 123. de ſent. excom. His reſponſionibus onus minimè neceſſarium aſſumpſimus: nam cum Senatus probare deberet iniuſtitiam excommunicationis, nos iuſtitiam probauimus. Cũ enim excõmunicatio tribus modis iniuſta dicatur, Ex cauſa, ex animo, & ex ordine. gl. in d. cap. ſacro. in verb. iuſta. vbi DD. oẽs, Spec. lib. 4. tit. de ſẽt. excom. ſup. 1. verſ. ſi verò. Theologi in 4. diſt. 18. Omnibus his modis clariſsima, & exuberans eſt iuſtitia huius excõmunicationis. Ex cauſa enim tribus modis iniuſta eſſe poſſet excõmunicatio, vel qa nulla cauſa prætẽditur in ſententia, vel quia prætenditur, ſed nõ eſt vera, vel quia eſt vera, ſed non rationabilis, vt declarat Henric. in d. cap. ſacro in 4. col. verſ. aut quæris de quarto. In caſu noſtro exprimitur in monitorio, & in ſentẽtia cauſa, non vna quidẽ, ſed multiplex, eaq. tã vera eſt, vt hæ leges in publicos libros fuerint relatæ, & ſolẽniter publicatæ omnibus ſubditis innotuerint, & nec Senatus, nec Reip. Oratores, hanc veritatem reticuerint. Rationabiles autem has fuiſſe cauſas, imò etiam neceſſarias, ob quas Sum. Pontifex non ſolum debuerit, ſed coactus fuerit ad excommunicationem procedere, ſupra ſatis ſuperq. probatum fuit. Cum autem hæc excommunicatio iuſtiſsima fuerit ex cauſa, multò minus eſt dubitandum, non eſſe iuſtam ex animo. id enim tunc eueniret, cum excommunicator non correctionis cauſa, vel zelo iuſtitiæ, ſed ex fomite indignationis, inuidiæ, vel odij excommunicationem promulgaſſet. At in caſu noſtro ipſa facti qualitas, ſummaq. Pontificis in Remp. propenſio, & perſpectum omnibus eius inge-

ingenium à perturbanda Chriſtianorum Principnm, ac orbis Chriſtiani pace alieniſsimum, de eius mente dubitare nõ ſinunt. nemoq́. eſt tam rerum omnium imperitus, quin videat Sum. Pontificem huiuſmodi actione Remp. Chriſtianam, atque animarum ſalutem ſuis priuatis commodis habuiſſe potiorem. Præterea præſumitur pro quolibet Iudice, & magis pro Principe, multoq́. magis pro ſummo Pontifice ſententiã ferente. Bald. conſ. 326. Rex Romanorũ col. 2. circa med. vol. 1. Alciat. de præſumpt. reg. 3. præſ. 8. Iuſtitia autem excommunicationis ex ordine etiam clariſsima eſt, quia illam non ſolùm præceſsit monitio, iuxta cap. conſtitutionem §. fin. de ſent. excom. in 6. & formam, quã ibi gloſſa tradidit, ſed etiam plures aliæ monitiones, tam ſcripto, id eſt litteris in forma Breuis, quàm etiam ore ſæpe, ac ſæpius, dum Pontifex Oratores Reip. & Nuntius Senatum admonuit, quod etiam ſatis erat, cum monitio huiuſmodi non requirat neceſſariò ſcripturam. Abb. d. cap. ſacro n. 3. Præterea ſententia ſcripto lata fuit, & cauſa in illa expreſſa. Citatio autem cenſetur interueniſſe, cum interuenit monitio, quæ ex ſtilo vim habet citationis, & ad excommunicationis ſententiam ferendam hoc caſu nequaquam requirebatur, vt ſupra probatum fuit. Et ita ſeruatus eſt ad amuſſim ordo præſcriptus Conſtitutione generalis Concilij, quæ habetur in d. cap. ſacro, & deſignatus inibi ab Interpretibus.

Quartò, obijcitur, hanc excommunicationem latam eſſe in Senatum ꝙ alienum eſt à doctrina antiquorũ Theologorum, & præcipuè S. Tho. in 4 diſt. 18. quæſt. 2. art. 3. in reſponſione ad 2. atque à Conſtitutione Innoc. IV. cap. romana de ſent. excom. in 6. quæ in Vniuerſitatem, vel Collegium ſententiã excommunicationis ferri penitus prohibuit, vbi gl. propoſito dubio, An valida ſit excommunicatio lata in Communitatem, non obſtante illa prohibitione, quatuor celebres DD. adducit ſentientes, non eſſe validam, & vnum tantum exiſtimantem valere, quamuis ipſa putet tutiorem eſſe opinionem, quæ aſtruit, excommunicationem eſſe validam. Itaque

cum

tum omnes conſentiant, ferri non debuiſſe, plures latam non valere, pauci validam eſſe; debuiſſe, aiunt, Sum. Pontificem eam ſectari ſententiam, quæ celebrioribus, & pluribus DD. placuit, quæq. Pontificia Conſtitutione fuit approbata. Prę terea in hanc ſententiam etiam S. Auguſtinus affertur, qui lib. 3. contra epiſt. Parm. valde deteſtatur excommunicationis ſententiam latam aduerſus multitudinem, etiam manifeſti, & notorij peccati ream. & hoc loco obiter monet frater Paulus, lectionem operum eius Sancti longè vtiliorem eſſe, vberioresq. legentibus parere fructus, quam Barbatiæ, aut Zenzelini. Reſdondetur, Pontificem iuri poſitiuo, quod habetur in d. cap. romana non ſubeſſe, Virid. ſeu incertus auctor in tract. de poteſt. ſecular. & Eccleſiaſtica cap. 157. quod habetur tomo tract. 12. in antiq. impreſſ. Sum. Silueſtr. in his terminis, in verb. excommnnicatio 1. num. 10. Præterea ideo Conſtitutione Innoc. prohibita eſt excommunicatio in Vniuerſitatem, vel Collegium, quia cum probabile non ſit, aliquam multitudinem totam delicto conſenſiſſe, iuſtus cum impio non eſt condemnandus, nec cum zizanijs etiam triticum eradicandum, vt rectè docuit D. Thomas loco ſupra citato, & apertè inſinuat dicta Innocentij Conſtitutio, ibi: Volentes animarum periculum vitare, quod ſequi poſſet, cũ nonnunquam contingeret, innoxios huiuſmodi ſententia irretiri. Quamobrem quoties conſtat, totam Vniuerſitatem, vel totum Collegium deliquiſſe, ceſſante tunc dictæ Conſtitutionis ratione, poteſt excommunicari, vt declarant Hoſt. in Summa tit. de contumacia § fin. verſ. ergo ſi conſtat, Lap. Pet. de Anchar. & Dominic. quos ſequitur Franc. in d. cap. Romana. §. in Vniuerſitate, verſ. in gloſſa fin. in fin. In caſu autem noſtro conſtabat, omnes Senatores deliquiſſe, cum in illud decretum ſuperius relatum, vt de legum reuocatione amplius ad Senatum referre non liceret, omnes, nemine prorſus refragante, conſenſerint, vt Reip. Orator Pontifici affirmauit, cui tanquam publicæ perſonæ, & Senatus, ac Reip. cauſam agenti potuit, ac debuit Pontifex fidem adhibere.

Præ-

Præterea Senatores videntur excommunicati tanquam ſinguli, non tanquam Vniuerſi, cum Pontifex, dum verba dirigit in Ducem, & Senatum ſtatutarios, notet eos tantum, qui ſtatutis condendis aſſenſum, & auctoritatem præſtiterunt, atque hoc pacto non includat inſontes, & ita ceſſat ratio prohibitionis dictæ Conſtitutionis Innoc. quo pacto Io. Andr. in d.cap. romana. §.in vniuerſitate, loquens de Collegio. Poſſunt (inquit) excommunicari omnes, qui fuerunt mandato meo rebelles: quam opinionem tanquam D. Thomæ, & dictæ Conſtitutionis Innocentij verbis congruentē, ſequitur Summa Tabien. in verb.excommunicatio ſecundo, num.18.verſ. vel accipitur Collegium pro perſonis applicatis. Nec ad rem facit pleroſque DD. ſentire excommunicationem eſſe nullam, ſi lata fuerit in Vniuerſitatem, vel Collegium aduerſus dictam Conſtitutionem Innoc. nam præterquam quod gl. contrariam opinionem putat tutiorem, quæſtio illa proponitur, de excommunicatione lata contra prohibitionem dictæ Conſtitutionis, vt cùm lata eſt in Vniuerſitatem, vel Collegiū tanquam perſonam repræſentatam, tam noxijs, quam innoxijs comprehenſis, cui excommunicandi rationi obſtant multa ex Pet. de Palud. relata à Summ. Tabien. d.loco num.18. Sed nos verſamur in excōmunicatione non prohibita ea Conſtitutione propter rationes ſuperius adductas. Dum autem ſubijcitur, Pontificem debuiſſe adhærere opinioni approbatæ Conſtitutione Innocentij Tertij, hæc materia terminorum ignoratione confunditur, quia Decretalis Innocentij prohibet, excommunicationem ferri in Vniuerſitatem, vel Collegium, ſed ſi feratur, nulla ſit, nec ne, minimè decernit, ideoq. locus eſt dictæ quæſtioni, alioquin gl. alijq. DD. qui à temeritate alieniſſimi ſunt, & Pontificias Conſtitutiones, Catholicorum more, venerantur, de ea non dubitaſſent, nec rem, Conſtitutione Innocentij definitam, ſub incudem vllo pacto reuocaſſent. Quod verò pertinet ad auctoritatem S. Auguſtini relatam in cap.non poteſt 23.q.4. iam ſatis eſt reſponſum, cum prohibi-

S hibi-

hibitio excommunicandi multitudinem ijſdem nitatur rationibus, quibus prohibitio excommunicandi Vniuerſitatē, vel Collegium, adeò vt hæc quoque ceſſet, vbi ceſſat illa, ſpecialius tamen reſpondetur. Primò, citatam S. Auguſtini auctoritatem eſſe intelligendam, vbi ſcandalum timetur, & multorum ſtrages iacent, ſi ſeruetur rigor, aliàs enim ſi non cōtemnatur diſciplina Eccleſiæ in populo, ſed ſperari poſſit, vt patienter ſuſtineat, ferienda eſt multitudo, cap. fin. de pœniten. diſt. 6. Hæc ſunt verba gl. in cap. latores, in verb. multitudinem, de Cleric. excom. miniſtr. Senatui autem Veneto moleſtum eſſe non debet, Pontificem ſperaſſe, vt Eccleſiaſticam diſciplinam æquo animo laturus eſſet, vtq. cenſurarum formidine iuſtiſſimæ Summi Pontificis annueret petitioni, reuocatis huiuſmodi legibus, ſicut alias, flagitante, ac monente Pio Secundo Pontifice, alias leges aduerſus Eccleſiaſticam immunitatem latas, piè, ac ſapienter ſuſtulerunt, teſte ipſomet Pont. Pio in Commentarijs, & Duce Venetiarum Paſquali Maripetro litteris ad eundem Pontificem datis die 6. Martij 1460. Secundò reſpondetur, Sum. Pontificem non omnes Patricios Venetos, quamuis legem latam receperint, vel admiſerint, ſed tantum Ducem, & Senatum ſtatutarios excommunicaſſe. At cum multitudo deliquit, qui cauſam delicto dederunt, vel præcipui fuerunt auctores delicti, non excuſantur multitudine, ſed acrius ob multitudinem puniuntur, vt probatur d. cap. latores, & declarat inibi Henric. citans S. Hieronymum in epiſt. 2. ad Ruffinum, dicentem, multitudinem peccantium patrocinium errori nō parere. Reſpondetur tertiò, cum in hac materia qui numerus requiratur, vt multitudini impune ſit deliquiſſe, à Iudicis arbitrio dependeat, vt ibid. gl. Henric. & cæteri declarant, meritò S. Auguſtinus Donatiſtarum, eorumq. populorum, qui maiorem Africæ partem occupabant, multitudinem vtpote immenſam, arbitratus eſt, non debere excommunicatione feriri. Summus autem Pontifex, Senatum Venetum, vtpote qui delecto, ſed non maximo numero Patriciorum

con-

conſtat, rectè cenſuit, ob tantas, tamquam graues cauſas eſſe excommunicatum declarandum, prout declarauit. Lectionem quidem S. Auguſtini vberrimos parere fructus, nemo Catholicus, piusq́. inficias iuerit; ſed mentis eius Sancti nunquã fuit, ſcriptorũ ſuorũ lectionem in hunc finem laudari, vt eleuetur Iuriſconſultorũ, atque Interpretum Iuris Canonici auctoritas, multoq́. minus vt impugnetur, vel nihili fiant etiam ſanctiones Summorum Pontificum, atque adeo vniuerſum Ius Canonicum, quod his ſcriptis factitatum video. Ipſarum autem Pontificiarum Conſtitutionum maior eſt auctoritas in cauſis definiendis, quam Sanctorum, quia non illis, ſed Papæ fuit tributa Clauium poteſtas, & legis condendæ facultas, Hug. in cap. de libellis, vbi Turrecrem. num. 3. diſt. 20. ideoq́. D. Thomas in ſecunda Secundæ quæſt. 10. art. 2. relatus à Turrecrem. in cap. 1. ead. diſt. dixit contra auctoritatem Romani Pontificis, nec Hieronymum, nec Auguſtinum, nec alium ſacrum Doctorem ſuam ſententiam defendere.

Quintò, conqueritur frater Paulus, ſententiam excommunicationis, & interdicti latam eſſe non perpenſis maturè maximis detrimentis, & periculis, quæ ex talibus cenſuris ſolent Fidei Catholicæ creari, quæque enumerantur in d. cap. alma mater, de ſent. excom. in 6. videlicet, vt creſcat populi indeuotio, pullulent hæreſes, & infinita pericula animarum inſurgant. Reſpondetur, Bonifacium in dicta Conſtitutione nequaquam affirmare hæc pericula ſimpliciter prouenire ab interdicto, quia ſi ab omni interdicto ea damna, & pericula deriuarent, actum eſſet de hac cenſura, nemoq́. ea vteretur, cum tamen ſit netuus Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Non (inquam) affirmat Bonifacius, ex omnibus interdictis ea pericula ſurgere. ſed ex diſtrictione ſtatutorum, quibus vetabatur in locis Interdicto ſuppoſitis, certis caſibus, & Sacramentis exceptis, diuina celebrari officia, vel miniſtrari Eccleſiaſtica Sacramenta, ac propterea Bonifacius, vt huiuſmodi periculis occurrat, concedit, vt nedum morientes, ſed

etiam viuentes, tam ſani, quam infirmi, ad pœnitentiam admittantur, excommunicatis, & nonnullis alijs exceptis, vtq. ianuis clauſis, ac campanis non pulſatis, & excommunicatis excluſis, Miſſæ, & alia diuina officia celebrentur, atque vt in nonnullis feſtiuitatibus ibi expreſſis, etiam ianuis apertis, & alta voce, campanisq. pulſatis, celebrari poſſit. Hac forma interdicti Bonifacius periculis enarratis, obuiam tunc iuit, & nunc Paulus Quintus in interdicto à ſe lato, eidem animarum diſcrimini proſpiciens, à forma dictæ Conſtitutionis Bonifacij non receſſit, ſed eam ad vnguem ſeruari mandauit, vt in Monitorio videre eſt.

Sextò, dicitur Chriſtum vſum excommunicationis præcepiſſe aduerſus peccata, quæ animæ inferunt detrimentum, illis verbis Matth. 17. Si peccauerit in te frater tuus, &c. & Sanctum Paulum expreſſiſſe, quæ ſint eiuſmodi peccata 1. Corinth. 5. Si is qui frater nominatur eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aot maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere. Antequam reſpondeatur, notandum eſt, illud relatiuum (quæ) ſi ſtat reſtrictiuè, ſignificare, aliqua eſſe peccata animæ damnum non inferentia, quæ aſſertio eſſet hæretica; ſi verò ſtat declaratiuè, vt Bart. in l. omnes populi num. 1. ff. de iuſtit. & iur. ſentit, accipiendum eſſe, cum qualitas relatiuo appoſita competit (vt in caſu noſtro) cuilibet de genere; tunc ſignificare id, quod verum eſt, omnia peccata tendere in perniciem animarum. Hoc præmiſſo monito, reſpondetur, ſanctum Paulum aliquot peccata recenſuiſſe excommunicatione digna, ſed exempla regulam non reſtringere; alioquin nec ob tria crimina expreſſa in cap. certum 11. quæſt. 3. deſumpto ex Concilio Triburienſi, liceret aliquem excommunicare, cuius contrarium ibi dicitur, nec ob plura alia delicta, ob quæ à ſacris Canonibus ſtatuta eſt pœna excommunicationis. Præterea etiam inter alia peccata, S. Paulus poſuit ibi rapacitatem, cuius peccati ſpecies eſt vſurpatio Eccleſiaſticæ immunitatis, & Eccleſiaſtici iuris, propter quam lata eſt à Pontifice ſenten-

tia

tia excommunicationis, vt etiam eam ferri poſſe ob peccatum mortale, cum quis temporale damnum proximo dat, tradidit D.Thom.in 4.diſt.18. art.1. in reſponſ. ad tertiam quæſtionem.

Septimò dicitur, licet hoc monitorio Pontifex ſequutus fuerit exemplum decem ſuorum prædeceſſorũ in eo expreſſorum, eoq́.nomine laudem mereatur, nõ minori tamen laude digni ſunt Pontifices imitati centum ſuos Prædeceſſores, quibus nunquam ulla fuit cogitatio leges à ſecularibus Principibus publicæ vtilitatis cauſa latas irritas decernendi, imò huiuſmodi leges ſæpè à laicis Principibus latas ipſi publicarũt, atq. exequuti ſunt. Sic S.Damaſus publicauit, & exequutus eſt legẽ Valentiniani. Sic S.Gregorius legẽ Mauritij, quæ interdicebat militibus, ne in Monachorum religione profeſſionem emitterent. Reſpondetur, exempla decem Pontificum monitorio expreſſorum, qui huiuſmodi leges irritas declararunt, potiora eſſe exemplis eorum, qui conquieuerunt; cum id euenire potuerit, eo quod tales leges, dum regnarũt, à Principibus ſecularibus editæ non fuerint. Sic Iuriſconſulti dictitant, ex non vſu non induci conſuetudinem, & Philoſophi illud in ore habent, locum ab auctoritate negatiuè non tenere. Legem Valentiniani aliqui, ſumma cum ratione, opinantur, conditam fuiſſe de conſenſu S. Damaſi, vt qui metu Pontificis coerceri non poterant, Imperatoris auctoritate coercerẽtur. Illuſtriſſ.Baronius tom.4.anni 370.ea præterea lex ſtatim euanuit, vt ſupra dictũ fuit. Lex autem Mauritij Imperatoris vehementer improbata, & oppugnata fuit à S.Gregorio, vt dignoſcitur ex eius epiſtola ad Mauritium hac de re ſcripta, quæ habetur lib.2. epiſt.61.& in pſalm.101.vbi in eius tyrannidẽ inuehitur, quod regiæ poteſtatis fines tranſgrediens, Eccleſiam, quam Chriſtus pretio ſui ſanguinis liberam reddidit, in ſeruitutem impudenter redigeret.

Octauò, reſpondet frater Paulus tacitæ obiectioni, quæ inſurgere poſſet ex opinione Canoniſtarum, quæ habet, Papam errare non poſſe. eamq́. opinionem limitare, & præterquam

quoad

quoad definitiones dogmatum, vel eorum, quæ generaliter ad mores ſpectant, refellere contendit. Hanc reſponſionem confutare quid attinet? cum Baronius vniuerſo opere, & Bellarminus lib. 4. de Sum. Pontifice cap. 8. hanc ſummorum Pōtificum actiones defendendi prouinciā ſuſceperint, idq́; egregiè præſtiterint, & in præſentia huius quæſtionis veritatem rimari ſuperuacuum ſit; ſiquidem fruſtra nunc quæritur, An Pontifex in hac excommunicationis cauſa errare potuerit, cum pleniſſimè docuerimus non erraſſe.

Nonò, quaſi probatum fuerit, ſententiam prædictam eſſe iniuſtam, redditur ratio, cur hoc caſu Reip. ſequendum non ſit S. Gregorij conſilium, dicentis, Sententiam paſtoris ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam eſſe timendam, vt habetur in cap. ſententia 11. q. 1. Cui dicto quoniam reſpondent concluſionibus ab omnium Theologorum, & Canoniſtarum conſenſu abhorrentibus, ne grauius relatæ videri poſſent, eadē verba tutius fuerit referre. Verba hæc ſunt. Non è coſi generalmēte vero quel detto, Sententia Paſtoris ſiue iuſta, ſiue iniuſta timenda, come viene interpretato da alcuni Dottori, che hanno introdotto, & vorrebono conſeruare nella Chieſa di Dio vna poteſta, che in nome ſi diceſſe Eccleſiaſtica, ma in fatti foſſe temporale. Vi è vn altro Canone di Papa Gelaſio anteriore à Gregorio, & non meno celebre in dottrina & ſantità 11. q. 1. cap. cui eſt illata, doue dice. Si iniuſta eſt ſententia, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum, & eius Eccleſiam neminem grauare debet iniqua ſententia. Ita ergo & ea ſe non abſolui deſideret, qua ſe nullatenus perſpicit obligatum. Non ſono contrarij queſti duoi Santi Padri, come le parole moſtrano, mà la dotrina Theologica cōcorda molto bene queſta apparente cōtradittione. Sono alcune ſentenze ingiuſte, perche cō mal animo, & peruerſa intentione ſono pronuntiate, ſe bene per giuſta, e legitima cauſa; queſte niuno metterà in dubio, che non debbiano eſſer temute, & che non oblighino appreſſo Dio vgualmente come le giuſte, ſe bene il Paſtore per l'animo cattiuo offende la maeſtà ſua

Diui-

Diuina; & di queſte s'intende, Sententia paſtoris ſiue iuſta, ſiue iniuſta timenda eſt. Altre hanno la cauſa ingiuſta in verità, ma in apparenza giuſta; poiche nelle coſe humane ſpeſſo la verità è coſi naſcoſta, che non è poſſibile ſcoprirla; onde vn'innocente alle volte reſtarà condannato ſenza colpa alcuna del giudice. Qual ſorte di ſentenza non obliga appreſſo Dio, ne ſi deue temer innanzi la maeſtà ſua Diuina, & in coſcienza; ſe bene è obligato il condannato per non ſcandalizare il proſſimo, il quale ha la ſententia per giuſta, moſtrare di temerla, & innanzi Dio viuere ſecondo che la ſua innocenza ricerca; innanzi al mondo, che lo ſtima colpeuole (ſe non può moſtrare la verità) viuere in patiēza, & raccommandare la ſua cauſa à Dio; ma ſe la ſentenza è ingiuſta, pronuntiata ſenza legitima cauſa, ne in verità, ne in apparenza, non ſolo non ſi deue temere, ma conuiene opporſele con tutto il potere. Queſta dottrina è ſtabilita in vndeci Canoni nel Decreto, cap. qui iuſtus, cap. cui illata, cap. ſecūdum Catholicā, cap. cæpiſti, cap. temerarij, cap. quid obeſt, cap. quò, cap. illud planè, cap. non debet 11. q. 3. cap. manet 24. quæſt. 1. cap. ſi quis 24. q. 3. Et è coſi commune di tutti li Theologi, & Canoniſti, che niuno diſcorda; ſi come anco conuengono, che nō poſſa eſſere ſcōmunicato alcuno, ſaluo che ꝑ peccato mortale, nel qual voglia perſeuerare anco doppo, che dalla Chieſa ſarà auertito. Chi leggerà li ſudetti Canoni tutti, reſtarà tanto pienamente inſtrutto, che non dubiterà punto le cenſure inique non legare, non offendere, non douere eſſere ſtimate; ma tanto più conoſcerà queſta verità, ſe leggerà gli autori, donde queſti Canoni ſono cauati nelle fonti ſteſſe, perche le parole innāzi, e doppo, gli moſtraranno la coſa più chiara. La ſentenza ingiuſta in verità, ma in apparenza giuſta, & che per non dar ſcandalo, ſi debbe temere, non può naſcere ſe nō, per errore nel fatto, perche dato il fatto ſecōdo la verità, il Giudice, che falla in diſcernere il giuſto, etiādio per ignoranza, ſempre è in colpa, la onde qualunque ſentēza ſia ingiuſta per manifeſto errore in iure, è nulla, e di niſſun valore,

lore,& non obliga appreſſo Dio, ne appreſſo il mondo. In quello, perche il Pontefice Romano fulmina la preſente ſcō-munica, non cade errore alcuno nel fatto; la verita è chiara, le leggi del Senato ſono in ſcritto, i delinquenti accuſati, & carcerati; non vi può eſſere innocenza occulta, che appariſca colpa; la queſtione ſtà in iure, s'ha da vedere ſe nelle Leggi fatte, & nelle carcerationi decretate ſia commeſſo peccato alcuno, che ſe il Principe, & Senato non hanno peccato, anzi hanno obedito alli commandamenti di Dio in procurare di conſeruar le vite, l'honore, li beni delli ſuoi ſoggetti, come à longo in tutti queſti capi ſi è dimoſtrato; non reſta luogo per dubitare della giuſtitia della cauſa del Senato, & in conſeguenza della nullità della ſentenza Pontificia; e maſſime, che le ragioni, per le quali ciò ſi fà manifeſto, non ſono di quelle, che ricercano molta ſottilità di mente per eſſer capite, mà con leggiera conſideratione ſi fanno manifeſte à tutti: per il che atteſa l'innocenza di eſſo Senato innanzi à Dio; & la chiarezza ancora di quella co'l mondo, non reſtando chi poſſa riceuere ſcandalo, non reſta parimente, che in alcun modo egli tema queſta ſcommunica, ne in conſcieuza; ne in foro eſteriore, ſe non come ſi teme la manifeſta violenza vſata à ſiniſtro fine.

Nihil opus eſſet ad hæc reſpondere, cum ſupra perſpicuè fuerit demonſtrata cenſurarum iuſtitia; ex abundanti tamen dicimus, etiamſi iniuſtæ eſſent, timeri debere, ac ſeruari, vt monuit S. Gregorius homilia 16. ſubdens: Paſtor ergo, vel abſoluere indiſcretè timeat, vel ligare. Is autem, qui ſub manu paſtoris eſt ligari, timeat vel iniuſtè, nec paſtoris iudiciū reprehendat, ne etſi iniuſtè ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa, quæ non erat, fiat. Quibus S. Gregorij verbis conſona ſunt verba S. Chryſoſtomi relata in cap. nemo ead. cauſ. & quæſt. quæ hæc ſunt: Nemo contemnat vincula Eccleſiaſtica, non enim eſt homo, qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis hanc poteſtatem dedit, & dignos fecit homines tanti honoris. ibiq. Hug. & Turrecrem. inter-

pre-

pretantur, id intelligi de vinculis Eccleſiaſticis etiam iniuſtè inflictis. Et quamuis S. Gregorij auctoritati opponatur Canon S. Gelaſij relatus in d. cap. cui eſt illata, quo probari videtur, iniquam excommunicationis ſententiam, nec apud Deum, nec apud Eccleſiam vinculum inducere, imò ab ea non oportere abſolutionem petere; tamen horum Sanctorum dicta, & ſententiæ re uera non pugnant. Nam ſanctus Gregorius loquitur de ſententia lata à Paſtore, quamuis iniuſta, vt verba ſonant: ſanctus verò Gelaſius de ſententia lata à Dioſcoro hęretico, & ab Eccleſia proſciſſo, & ita ab eo, qui non eſt paſtor, quiq́. caret poteſtate, & iuriſdictione excommunicandi. Ita adnotauit Alexandrin. in dicto cap. ſententia, cui ſubſcribit Nauar. in cap. ſi quando, de reſcript. remed. 2. num. 15. & ita has Sanctorum auctoritates conciliarunt Hug. Archidiac. & Turrecrem. in dicto cap. cui eſt illata. Quamobrem cum Gratianus in cap. non debet ead. cauſa, & quæſt. ad probandum iniuſtam ſententiam nec apud Deum, nec apud Eccleſiam aliquem alligare (quam quęſtionem poſtea relinquit indeciſam) induxiſſet ſupradictum Canonem Gelaſij Papæ, Hug. ibi, & poſt eum Turrecremata notauit, illam Gelaſij auctoritatem ſophiſticè ad id probandum inductam eſſe, quia Gelaſius ibi loquitur de ſententia lata à Iudice non ſuo, id eſt, hæretico atque damnato. Quamobrem cum ſententia hæc lata fuerit à Summo Pontifice, cuius totus terrarum orbis eſt Diœceſis, cap. cuncta per mundum 9. quæſtione 3. cuique omnes Reges, & Principes ſubſunt, Diuus Thomas in tractat. de Rege, & Regno ad Regem Cipri, quique eſt omnium Iudex ordinarius. Felin. poſt alios in cap. 1. num. 9. de conſtit. proculdubio locus eſt ſententiæ Sancti Gregorij, vt etiam ſi iniuſta eſſet, debeat timeri. Hæc certè reſponſio, quæ veriſſima eſt, ſola ſufficeret: vt tamen magis veritas pateat, è re eſſe duximus, totam hanc materiam receptis, ſolidisq́. Theologorum, & Canoniſtarum traditionibus illuſtrare. Cum quæritur, An excommunicatio etiam iniuſta

obſeruanda ſit,repetenda eſt ſupra tradita diſtinctio, huiuſmodi ſententiam poſſe eſſe tribus modis iniuſtā, ex fine, ex cauſa,& ex ordine. non eſt autē neceſſe repetere, quomodo quilibet ex his modis ſententiā reddat iniuſtā, quia id ſuperius ſatis explicatū fuit; id tantum videndum nunc eſt, an in quolibet genere iniuſtitiæ verū ſit, ſententiam eſſe timendā & ſeruandā. Si iniuſta ſit ex fine,quia reuera præcedat crimē, propter quod fertur ſententia, ſed Iudex ad eam ferendā liuore,vel alio affectu impellatur,timeri,ac ſeruari debet, atq. ligare tā quoad Deū,quam quoad Eccleſiā militantem, omnes cōueniunt,quia reuera iuſta eſt, eamq. excommunicatus meritus eſt, quāuis ex praua ferentis mente iniuſta reddatur, & vt ait D.Thom.infra citandus, iſte iuſtè patitur,quāuis ille iniuſtè faciat. Quod etiā docuerunt Durand.in 4. diſt.18. q. 4.nu.6.Ricard.d.diſt.art.3.q.5.S.Bonau.ead.diſt.q.2.nu.44. Si verò ſit iniuſta ex cauſa,ita tamen vt non ſit ex hoc capite ipſo iure nulla,& ſi etiā ſit iniuſta ex ordine,quia non præcedat monitio,vel aliud ſimile,valida eſt, ligatq. quoad Eccleſiā militantē,non autem quoad Deum,nā Dei gratiā iniuſtè amittere nemo poteſt,& propterea quoad Deū talis ſentētia nō obligat,ſed poteſt iniuſtè amittere illa,quæ ex parte noſtra diſponūt ad gratiā,id eſt,Eccleſiæ ſuffragia,& ideò tenet quoad Eccleſiā militantem. ita poſt D.Tho.in 4.diſt.18. art. 1. declarat Turrecr.in d.cap.ſententia nu.2.Sum.Silueſt. quæ Petr.Raym. & alios in hanc ſenteniā recenſet in verb. excōmunicatio 2.nu.4. Henr.in d.cap.ſacro in 2.col.verſ. & licet, & ratio eſt,quam reddit S.Bonau. d.q.2. nu.45. quia cū ſubditorū non ſit diſcutere ſententias maiorū,excōmunicatio in his tribus ſupra poſitis caſibus timenda eſt non cōſideratione iuſtitiæ,ſed ob reuerentiā poteſtatis Eccleſiaſticę. Ac propterea debet excōicatus ſententiā excōicationis iniuſtam ex fine,vel ex ordine humiliter perferre, quod ei erit meritoriū: alioquin ſi contemnat, huiuſmodi ſententia iniuſta, quæ prius tantum ligabat apud Eccleſiam militantem, ligabit etiam apud Deum, & ex iniuſta tunc iuſta efficietur, vt poſt

Ho-

Hoſt.Bern.& Goffred.tradit ibid.Henr.declarãs poſt Io.And. & Hoſt.multifariã cõtemni huiuſmodi ſententiam. Primò,cũ excõicatus accumulat culpã culpæ, & alia ſuper alia crimina coaceruat. Secundò, cũ ex certa ſcientia ingreditur Eccleſiã, etiã cum ibi diuinũ nõ celebratur officium,cap.Clericus 23. q.3. niſi cauſa prædicationis,qua audita,egrediatur,cap. reſponſo,de ſent.excom. Tertiò,cum licet non intret Eccleſiã, ad valuas tamen audit officiũ, cap. permittimus, de ſent.excom.Quartò cũ cõmunioni Catholicorum,quã vitare poteſt, ſe ingerit cap.illud. §.illud,de Cler.excom. miniſtr. Quintò, cũ nimis dormit in ſententia ſic ligatus,cap.per tuas,de ſent. excom. Ideò autem ſuperius dixi ſententiã iniuſtam ligare,ſi non ſit ipſo iure nulla,quia tunc nõ ligat neque apud Deum, neque apud Eccleſiam militantẽ,vt ibid. ſcripſit Henr. & ex Palud.Nau.d.remed.2.nu.15. Silu.in verb. excommunicatio 9.nu.4. Nulla autẽ poteſt eſſe excõicatio pluribus modis,qui exactè referuntur à DD. in cap. ſolet, & in cap præſenti de ſent.excom. in 6. Tabien.in verb.excõicatio 2. num.9. verſ. decimo dicendũ vſque ad nu. 20. Silu.in verb. excõicatio 2. nu.1.Ex his modis,prętermiſſis alijs,quæ ad rem noſtrã nullo modo pertinere poſſunt,eũ tantum cõmemorabo,quo innititur F.Paulus. Is eſt, cum excõmunicatio continet intolerabilem errorem, vt cum præcipit illicitum, nimirum quia excommunicatur aliquis, ſi non fuerit furatus; vel bonum prohibet, vt cum excommunicatur aliquis, ſi Deum colat, aut pauperi tribuat eleemoſynam; vel cum præcipit quid impoſſibile; vel cum errat Iudex in iure, id eſt, pronuntiat expreſsè contra ius ſcriptum, vt puta, Pronuntio valere excommmunicationem latam poſt appellationem. idemque aliqui exiſtimant habere locum, ſi ſit error in facto notorius, vt Silueſter in dicto loco in verbo, vnde ſi eſt error. Hanc autem communem doctrinam non infirmant, ſed confirmant vndecim Canones Decreti ſuperius relati. quia cap. qui iuſtus, dum eo dicitur, qui iuſtus eſt, & illi maledicitur, illi præmium redditur, hunc habet ſenſum, iniuſtè ex-

communicatus patienter ferens, prẹmium conſequitur æternum, ibique notat Gratianus, licet iniuſta ſit ſententia, ei eſſe parendum, licet apud Deum non ſit obligatus, ne ex ſuperbia fiat dignus pœna, & dignus ligari. Cap. cui eſt illata, quomodo intelligatur, iam ſupra dictum fuit. Cap. ſecundum Catholicam, dum habet, Deum non pati cuiquam iniuſtè noceri, non reſpicit effectum ſententiæ, ſed iuſtitiæ diuinẹ, quæ punit iniuſtè nocentem, vt ibi Turrecremata exponit, & ita ad quẹſtionem noſtram non pertinet. Eundem ſenſum habet Cap. cœpiſti. Cap. temerarij, dicens, temerarium Iudicem plerumque excommunicato non obeſſe, ita accipitur, vt ſi patienter ferat, non obſit quoad Deum, vt ibi declarat Turrecrem. qui in ſeq. Cap. quid obeſt, ait illum quoque Canonem ad idem tendere. Cap. non debet, decernens, non debere eum ſuſtinere pœnam, in cuius damnationem non eſt Canonica prolata ſententia, intelligitur de ſententia nulla, quia lata à Iudice carente iuriſdictione, nempe non ſuo, vel poſt appellationem, vt ibi omnes notant. Cap. illud, quamuis dicat, iniuſtam excommunicationem obeſſe excommunicatori potius, quã excommunicato, intelligitur, vt non noceat quoad Deum, ſed quoad Eccleſiam, donec abſoluatur, vt ibi probat Turrecrem. num. 7. Eodem modo accipitur Cap. manet 24. quæſt. 1. & Cap. ſi quis non recto 24. quæſt. 3. vt vtrobique gl. declarat, & prẹſertim in cap. ſi quis, vbi ait, iniuſtè excommunicatum nihil lædi quantnm ad recipiendam vnitatem Sanctorum, ſed lædi quantum ad participanda Eccleſiaſtica miniſteria. Et ſic patet, dictos vndecim Canones non probare, ſententiam iniuſtam non eſſe timendam, ſed oppoſitum, & conformes eſſe veris, & receptiſſimis, tam apud Theologos, quam Canoniſtas concluſionibus à nobis ſuperius relatis. Ex quibus, ad rem noſtram propius accedendo, conſtat excommunicationem Pontificiam etiamſi iniuſta eſſet ex fine, eſſe tamen ſeruandam, & afficere, tam quoad Deum, quam quoad militantem Eccleſiam.

ſiam. Si autem iniuſta eſſet ex cauſa, vel ordine, ab initio ligaſſe tantum quoad Eccleſiam militantem, nunc autem tanto contemptu ſubſequuto, totq. execrabilibus interdicti violationibus, ligare etiam quoad Deum. Quòd ſi nulla fuiſſet, minimè quidem adſtrinxiſſet excommunicatos, vel quoad Deum, vel quoad Eccleſiam. ſed certè nulla prorſus nullitas eſt, quæ in hanc excommunicationem quadrare poſſit. Factum enim eſt certum, atque notorium, vt his ſcriptis etiam affirmatur ibi: In quello, perche il Pontefice fulmina la preſente ſcommunica, non cade errore alcuno nel fatto, le leggi del Senato ſono in ſcritto, i delinquenti accuſati, e carcerati. Quoad ius verò etiamſi daremus, iura Eccleſiæ non eſſe adeò certa, & firma, vt ſupra verè probauimus, eſtnè hæc excommunicatio talis, quæ contineat intolerabilem iuris errorem, quæq. non ſit iuſta ne in verità, ne in apparenza, vt ait frater Paulus? Tria exempla intolerabilis erroris adferuntur à Doctoribus in locis ſupra citatis, & præſertim à gl. in cap. per tuas in verb. intolerabilem errorem, de ſent. excom. videlicet cum aliquis excommunicatur, quia Deum coluit, vel quia non eſt fornicatus. ergo hoc exemplum quicquam pertinebit ad excommunicationem latam in laicos de bonis emphyteoticis in detrimentum Eccleſiarum ſtatuentes, Eccleſias ædificari, ac bona in Eccleſiam alienari, vel ei relinqui lege lata prohibentes, ac Sacerdotes in carcerem conijcientes, & coram ſecularibus iudicibus cauſam dicere compellentes? ſecundum intolerabilis erroris adducitur exemplum, cum Iudex excommunicat aliquem, niſi fecerit id quod factu eſt impoſſibile. idne pertinet ad hanc excõmunicationem, quæ iubet, leges nullas, & iniuſtas abrogari, & perſonas Eccleſiaſticas è ſecularibus carceribus dimitti, & ad tribunal reijci Eccleſiaſticũ, quod præſtari facile & temporis momento poteſt, pendetq. à ſola Senatus excommunicati voluntate? Tertium eſt exemplum, cum ſententia profertur apertè contra ius ſcriptum, vt cum decernit, valere excommunicationem latam poſt appellationem. id

etiam exemplum ad hanc excommunicationem nullo pacto ſpectabit, quæ præceptum continet non ſolum iure ſcripto non improbatum, ſed rationibus, auctoritatibus, communi Iuriſcouſultorum conſenſu munitum; cum tamen ſatis ſit ad ſententiam ab intolerabili errore defendendam hos articulos, circa quos lata eſt excommunicatio, pro poteſtate laica iure ſcripto nuſquam eſſe deciſos, & tamen potius conſtet, deciſos eſſe pro Eccleſia. Diſcrimen autē quod in hac materia conſtituere nititur frater Paulus inter Principem, & priuatos, id eſt, vt priuatus aliquo caſu teneatur iniuſtam timere ſententiam, nō autem Princeps, nullo iure probatur, imò oppoſitum conſtat ex verbis Caroli Imperatoris relatis in cap. in memoriam 19. diſt. quæ hæc ſunt: In memoriam Beati Petri Apoſtoli honoremus Sanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedē, vt quæ nobis ſacerdotalis eſt mater dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis, quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa S. Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. & cum de cauſis Dei agitur, regia voluntas Dei Sacerdotibus ſubijci debet, non præferri, vt habetur in cap. certum 10. diſtinct. ſic etiam Imperatorem in hac materia ſpirituali eodem, quo cæteri, iure cenſeri, patet ex eo, quod poteſt ipſe excommunicari ab Epiſcopo, gl. in cap. valentinianus in verb. ſubmittamus diſtinct. 63. Reſtaur. poſt alios d. tract. de Imperat. quæſt. 50. nu. 25. vbi num. 26. poſt Abb. ſubdit, quod in ſpiritualibus, etiam ſubiectus eſt ſuo parochiali presbytero. neque indecorum eſt Principibus, Sedi Apoſtolicæ obedire, quia illi ſubeſſe eſt de neceſsitate ſalutis. D. Thom. de errorib. græc. cap. 72. Felin. in cap. 1. num. 10. de conſt. & illi obedientia non ſeruili metu, ſed charitatis affect u eſt pręſtanda, non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ, vt ait Beatus Gregorius in Moralibus, & Henricus in cap. 1. de maiorit. & obed. in fine. Et quoniam obijcitur nobis error iuris, & nos nullum ſubeſſe probauimus, hoc loco animum ſubit illa cogitatio. Venetos

Se-

Senatores Viros acres,eloquentes, ſolertes,Politicarum rerum ſcientiſſimos,atque ingentis ſpiritus eſſe noui.Sed quia his in rebus cæteris antecellunt, etiam Sacrorum Canonum, ſacrorumq. Conciliorũ,atque adeò ipſius ſacræ Scripturę,ac Theologicæ facultatis peritia,ſe etiam Vrbis Romæ Sacerdotibus, quorum hoc eſt præcipuum ſtudium, atque etiam Sede Apoſtolica,ac Summo Pontifice præſtare arbitrantur? Etiam ſi in his articulis nihil aduerſus eos actum iudicialiter eſſet, etiamſi ſcriptorum omnium conſenſus Eccleſijs non faueret, etiamſi Sedes Apoſtolica omnium Eccleſiarum Mater,atque magiſtra ſe ita ſentire non profiteretur,etiamſi ipſi non diſcere,ſed docere,quod ad hæc pertinet,tenerētur; ſi nihil horum eis obſtaret,quæ obſtāt omnia, cum tamen de rebus ad Thelogos,atque Canoniſtas ſpectāribus agatur, harũq. cognitio, longè maior habeatur in Vrbe, quā Venetijs, imò in Vrbe maxima,in ciuitate Venetiarum ferè nulla, ſi veritatē amāt,ſi moderationis, ac iuſtitiæ,vt magnos Principes decet,laudem non aſpernantur, nõne æquum eſſet, ipſos exiſtimare,quemadmodum alijs pleriſq. in rebus cæteros ſuperant;ita hac in re ab Vrbe Roma, & à Romana Curia ſuperari poſſe, eſſeq. ſuis in hac re opinionibus Romanæ Curiæ opinionem potiorem ? Sed his omiſſis ad finem properandum.

Decimò dicitur, obedientiam, quæ Prælatis debetur ex Dei præcepto,non debere ſtolidam eſſe,ſoliq. Deo obedientiam abſque vlla exceptione eſſe præſtandam;Prælatis verò ita demum, ſi iuſtum fuerit præceptum;idq. eum,cui præcipitur,examinare debere,& ſi iniuſtum compererit, non ſolũ illi obedire non teneri,ſed vi,& facto reſiſtere poſſe. ac debere.Hæc doctrina non minus Politico,& ſeculari,quam Eccleſiaſtico regimini exitioſa, reum Iudici,ſubditum Principi ſuperiorem facit,totum Orbem perturbat,omnemq. penitus Magiſtratuum, ac Principum iuriſdictionem euertit. Atqui neque Theologi, neque Canoniſtæ ita docuerunt. Hi enim conſentiunt quidem, ſubditos non teneri Principibus obedire in his,quæ intolerabilem errorem cõtinent;videlicet,quia

ſint

ſint contra Fidei articulos, vel præcepta, prohibitiones, aut generale ſtatutum Eccleſiæ. In alijs verò ſentiunt, obſtrictos eſſe ad parendum, etiamſi dubium ſubeſſet, nũ res, quæ præcipitur, licita eſſet, nec ne, vt validis rationibus probat D. Thomas, Hoſtien. & Goffred. quos refert eorum ſententiæ ſubſcribens Turrecrem. in d. cap. ſi dominus 11. quæſt. 3. per tot. & rectè deducitur ex cap. ſi quis, cap. non ſemper, cap. ſi dominus, cap. qui omnipotens, cap. ita corporis, cap. qui reſiſtit, cap. quid ergo, eadem cauſa & quæſtione. Hæc autẽ præcepta ſupradictas leges reuocandi, & à iudicio perſonarum Eccleſiaſticarum exercendo abſtinendi, iuſtiſſima eſſe, vel etiamſi minus iuſta forent, ab intolerabili tamen errore longiſſimè diſtare, ac propterea neque iuri ſcripto, neque vllis Eccleſię, aut Dei præceptis aduerſari nemo nõ videt, & ſuperius plenè probatum fuit, adeò vt nec oporteat alium nunc articulum, num reſiſti iure potuerit, attingere, cum poſita obligatione obediendi ſupra probata, certò certius ſit, nec potuiſſe, nec debuiſſe reſiſti, cap. qui reſiſtit 11. quęſt. 1. Quin etiam cum nunc non tantum de præcepto, ſed etiam de excõmunicatione agatur, cõueniunnt omnes, Pontifici abſque diſtinctione eſſe obtemperandum, quia cum in eius poteſtate ſit Eccleſia militans, nemo aduerſus eius voluntatẽ debet ſe Eccleſiaſticis immiſcere ſacramentis. Hoſt. Io. And. Ant. & alij in cap. inquiſitioni in fine de ſent. excom. & ſubditorum non eſt diſcutere maiorum ſententias, vt de excõmunicatione etiã iniuſta loquens, docet S. Bonauent. ſuperius citatus.

Quamobrem cum Eccleſiæ iuſtitia euidentiſſima conſpiciatur; minimè deſperandum eſt, fore, vt Venetus Senatus quantumuis in rebus Politicis propoſiti tenax, vbi veritatem plenè edoctus fuerit, minimè patiatur, ſuam hiſce in rebus pietatem, ac religionem diutius deſiderari. Ab eius certè grauitate, ac præſtantia alienum eſt, tot, tantaq́. bona, ac decora, vna hac Eccleſiaſtici iuris vſurpatione deformare, & meritorum gratiam maiore culpa, quam cauſa culpæ eſt, corrumpere. Nam vbi prouiſum fuerit, ne res Eccleſiaſtica ex latis legibus, ſeculariq́. iudicio in perſonas Eccleſiaſticas certo

pto

pro vllum capiat detrimentum,ſi quid in eo dominio opportuna eguerit reformatione, non eſt dubitandum, Apoſtolicã Sedem,quæ nunquam æquis tantæ Reipublicæ poſtulationibus abnuit, interdum etiam vota præuenit, plurimumq́.ſuas cum illa coniunctas, exiſtimat,eſſe rationes, de conſueta ſua benignitate, ac honeſtè illi gratificandi ſtudio, aliquid remiſſuram. Inrerim miſerator Deus reminiſcatur miſericordiarum ſuarum,reſpicienſq́.ardentes,& aſſiduas preces Sanctitatis Suæ,quibuſcum fidelium vota iunguntur, qui diuinæ bonitati ea de re ſupplicare non ceſſant, emolliat Senatus Veneti corda, faxitque, vt glorioſa abrogatione eluat maculam,quam editis in Eccleſias Conſtitutionibus, ſecularique in perſonas Eccleſiaſticas iudicio,nuper contraxit.

LAVS DEO.

		Errata.	Corrige.
pag. 7	℣.10	eorumq. *lege*	eiuſq.
pag. 10	℣.5.6.7	*vbi legitur* conuer-exuens,& Epiſcopi indnens,apertè docuit Imperatores ac,tens,perſonam Ciuis Principes *lege*	conuertens,perſonamq. Ciuis exuens,& Epiſcopi induens, apertè docuit Imperatores, ac Principes
10	12	terrena cæleſtibus	cæleſtia terrenis
25	16. 17	*vbi legitur* naturalis Clerico forus laicalis, quem *legatur*	naturale Clerico forum laicale,quod
26	24	ædifiare	ædificare
30	35	ex	ea
32	14	V.	IV.
32	18	conqueſtis	conqueſti
34	6	aurea	ſe aurea
34	12	cœpiſſent	cœperunt
38	3	etiam	enim
38	20	ædificaſidam	ædificandam
41	15	non poſſint	poſſint
41	17	præcepit	præcepiſſe
66	7	longe inter ſe diſtare	longe diſtare
79	12	Iuliam	Iuliani
89	13	caro non	non caro
102	10	eſſe frequentius,	eſſe, frequentius
107	18	aliiſq.	aliiq.
108	34	nedum	necdum
110	29	mandatum	mandatam
112	26	exilium perpetuum	exilii perpetui
113	30	maiorem delicto,	maiorem,delicto
115	12	impunitate,donatos	impunitate donatos
115	15	aliorum	alienum
119	1	fuiſſent	fuiſſent in
134	16	ſup.	§.
135	26	ꝙ	quod
138	16	ſuſtulerunt	ſuſtulit
139	1	ramquam	tamq.
139	29	netuus	neruus
150	13	ſtiſt.	diſt.

Multis in locis poſitum eſt his, pro iis, & l. pro lib.